13.

D. T. O. T. M. S.

DISPUTATIO MEDICA Inauguralis
DE PARALYSI

Quam In Nomine Sacroſanctæ & Individuæ Trinitatis,

Ex Decreto & Autoritate Ampliſſimæ Facultatis MEDICÆ

In Per-Illuſtri & Celeberrimâ Academiâ Witebergenſi

PRÆSIDE

RECTORE MAGNIFICO,

VIRO

Præclariſſimo, Excellentiſſimo atq́; Experientiſſimo

DN. MICHAELE SENNERTO, Medicinæ Doctore, Ejusdemq; Facultatis Profeſsore Publico, Fautore ac Promotore ſuo plurimùm Obſervando,

Pro impetrandâ in arte Medicâ honores ſummos, Inſignia ac privilegia Doctoralia petendi LICENTIA,

Publico Eruditorum examini ac cenſuræ ſubmittit

FRANCISCUS ADAMUS KESSIUS,
Grimâ-Miſnicus.

In Auditorio Majori, horis ante & Pomeridianis

Ad diem 4 Decembr. Anno 1651.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.

VIRIS
Strenuis, Magnificis,
Nobiliſsimis, Ampliſsimis Prudentiſsimisque
DNN. PRÆSIDI CONSULIBUS
Cæteriſq; SENATORIBUS,
Inclytæ ac Celeberrimæ Imperialis Reipublicæ
VRATISLAVIENSIS,
Omnibus ac Singulis
Dnn. Mecænatibus, Patronis ac Promotoribus ſuis, omni obſervantiæ cultu æternùm proſequendis

Hanc Diſputationem inauguralem

intimo cum voto

Pro feliciſsimo Eorundem ac totius Reipubl. ſtatu & incremento

In maximè debitam ſubmiſsionem, ulteriorem commendationem, & exoptatæ benevolentiæ ac Favoris conciliationem

Humillimè

D. & O.

Franciſcus Adamus Keſsius
Theſium author & Reſp.

CHRISTO DUCE ET AUSPICE CHRISTO.

Proœmium.

VAriis morborum generibus in hâc vitâ hominem eſſe obnoxium, & ſcriptura ſacra affirmat, & quotidiana omnium teſtatur experientia. Inter triſtiſſimos autem & maximè moleſtos ægritudinum inſultus, quibus fataliq; neceſſitate, corpora noſtra perpetuò ſunt expoſita, nō poſtremum ſibi invenit locum, toto orbe nota illa & plus quâm miſerè mortalibus inviſa, motus organorum corporis impotentia. Cùm enim conditus ſit homo, non ut in continuo otio vitam conſumat, aut ignavâ quiete immobilis, uni loco ſemper affixus commoretur, multifario diverſorum membrorum & inſtrumentorum apparatu, â benigniſſimo Creatore donatus eſt, quibus pro rationis ac voluntatis arbitrio, ad bonum capeſſendum & declinandum malum, de loco in locum ſeſe movere, vocationisq; ſuæ ac functionis munia obire eſt idoneus. *Gal. de uſu part. hum. l. 1.* Quam diu igitur in hoc ſanitatis ac incolumitatis ſtatu perſiſtit homo, non iniquè de felicitate ſuâ ſibi gratulari rectè poteſt: ex quo verò ſi adverſo fato expellatur, & ad officia debita, præſenti organorum corporis miniſterio exequenda reddatur quocunq; modo inhabilis, vel infra brutorum ſortem ſe infeliciter deturbatum, cur non doleret meritò? *Senn. Inſt. p. 3. ſ. 1. c. 8.* Hoc autem cùm multis modis poſſit contingere, atq; â diverſis cauſis ineptitudo ejusmodi ſæpè inducatnr, omnes iſtæ motus localis fruſtrationes generali motus impotentiæ appellationi includi conſueverunt. Nos reliquis omiſſis ſpeciebus, eam hâc vice tractandam, rectæq; rationis trutinâ examinandam nobis proponimus, quam communis gentis Aſclepiadeæ autoritas ac conſenſus paralyſin vocare non dubitavit, & quæ â nervorum læſione ac vitio principaliter ducit originem. *Hor. Aug. T. 2. l. 3. p. 393.* Quamvis

vis autem plurimùm erudita paſſim extent de graviſſimo hoc malo Doctiſſimorum virorum ſcripta, quæ cuilibet pro lubitu evolvere atq; cognoſcere ſtat integrum; tamen de ejus cauſis non eædem omnium ſunt ſententiæ, unde fit, ut & ipſius expulſio & cura non æquè feliciter abſolvatur perpetuò; cùm impoſſibile ſit, affectum aliquem p.n. tollere, cujus cauſas non exactè antea tibi reddideris cognitas. Cùm igitur pro laudabili Ampliſſimæ Facultatis Medicæ conſuetudine, aliquid jam ſit profe-rendum in medium, minimè omnem operam perditurum me arbitratus ſum, ſi iſti negotio quippiam impenderem temporis, & hanc diſputationem, pro exigui talenti viribus concinnarem, publicoq; ac placido philiatrorum examini, pro impetrandâ in arte Medicâ Licentiâ *ſubmitterem, atq; adeò hâc ratione receptiſſimo laudatiſſimoq; mori Academico debitum præſtarem obſequium: Quod dum ſine ulteriori verborum prolixitate tentare aggredior,* Invoco Te, ô Clementiſſime Deus, qui omnis ſapientiæ fons & origo es, adſit mihi gratioſa vultus tui præſentia, imbue & excita mentem meam ſpiritu ſapientiæ, ut omnes meæ cogitationes & actiones, cedant in glorioſiſſimi tui nominis laudem ac gloriam, proximi utilitatem, ac æternam meæ ipſius ſalutis propagationem.

Joh. Baptiſt. Mont. med. part. 3. p.m. 813.

THESIUM MEDICARUM de Paralyſi prima.

Etſi parum, aut omninò nihil etiam, ſcrupuloſa vocabulorum enucleatio ad legitimam curandi methodum, ac artificioſam affectionum præternaturalium ex corpore humano exturbationem poteſt facere: tamen, ne uſitati ordinis leges tranſiliiſſe videamur, in mentem nobis revocamus vulgatum illud Ciceronis præceptum, quo monemur, omnem cum rectâ ratione de re aliquâ ſuſceptam tractationem, à nominis proficiſci

de

debere explicationem, præſertim cùm juxta Scaligeri ſententiam, à præmiſsâ nominis ſeu vocis conſideratione, ſæpe numero in ipſius rei feliciorem provehamur perceptionem. Atque ita in nullius reprehenſionem incurrere nos poſſe cenſemus, ſi & in propoſito labore hâc viâ procedamus, & in ipſo tractationis noſtræ frontiſpicio, de verâ vocis Etymologia ſimus ſoliciti.

Exerc. 1 Sect. 1.

2. Paralyſis igitur in genere quidem reſolutionem & laxationem ſignificat: hoc loco autem κατ' ἐξοχὴν, pro peculiari nervorum & partium motui dicatarum reſolutione, quam motus (& tactus interdum ſimul) privatio perpetuò comitatur; ſumenda venit. Deducitur ἀπὸ τοῦ παραλύεσθαι, i. e. reſolvi, quia ſcilicet in hoc affectu τόνος ac robur nervorum, ac muſculorum, quibus ductu ſuo, p. n. conſtituti nervi diſtribuuntur, ita reſolvitur & laxatur, ut ad motus voluntarii exercitium planè reddantur inhabiles.

Etymologia. Chriſtoph. à Vega: de art. med. l. 3. c. 19. Fuchſius Inſt. Med. l. 3. ſect. 1. cap. 11.

3. Non autem totalis & omnimoda intelligenda erit motus abolitio, quâ omnibus omnium totius corporis membrorum nervis laborantibus, tàm ſentiendi quàm movendi potentia evaneſcit, quod qui patiuntur ἀποπληκτικοὺς, λυομένους καὶ καταλυομένους, i. e. totaliter reſolutos appellitat Hippocrates: ſed deminutam ſaltem dictarum functionum adminiſtrationem inſinuamus, cum certis tantummodo membris, dextri np. vel ſiniſtri lateris, ſive determinatis quibuscunque partibus noxam ſentientibus, reliqui reſiduorum locorum nervi & inde dependentes membrorum motus ſunt integri. Atque hanc non totalem motus denegationem, indigitare videtur particula παρὰ, quæ & in aliis affectibus, ut paraphrenitide & paraſynanche, imminutionem quodammodo inferre aſſeritur.

Cornel. Celſ. de re m. de l. 4. c. 4. Paul Ægin. de re m. l. 3. c. 27.

4. Eundem affectum παραπληγίαν etiam appellari ſeu παραπληξίαν invenimus: item ἡμιπληγίαν, utpote quæ fiat per alterius ſaltem medietatis corporis reſolutionem, ut diſtinguatur ab Apoplexia, quæ totum corpus ſuis exuat functionibus.

Etym.

5. Mi-

Senn. Inſt. l.2. p.3. ſ.1. c.8. Valeſc. de Taranth. pract. l.1. c.20. Avic. l.3. fen.2. c.2. Inſt. Senn. l.2. p.3. ſ.2. c.5.

5. Minus accuratè mollificationem nervorum quidam eum appellant. Licet enim, dum à munere ſuo deficiunt nervi, & miniſterio tendinum, quibus pro advehendis ſpiritibus animalibus ad motum ciendum neceſſariis, illi à cerebro aut ſpinali medullâ communicantur, muſculos verſus originem contrahere amplius nequeat æger, & ita molliores q. fieri appareant nervi: tamen iis nulla unquam realis mollitudo poteſt accidere, ſimili modo, quo nec fides remiſſas in citharâ & tympano, aut corium minus tenſum emolliri, ſed laxiora potius hæc fieri animadvertimus.

l.3. de re med. c.27. Tract. de arthrit. c.1.

6. Cornelius Celſus nervorum reſolutionis nomine hunc affectum indigitat: aliis guttam eum appellare fuit libitum, quo ipſo tamen titulo Barbaros arthritidem etiam inſignire Clar. Sennertus teſtatur. Germanis, die Lähme/ der halbe Schlag/ der Gichtbruch.

Definitio.

7. Eſt autem paralyſis privatio ſeu abolitio motus voluntarii, determinatarum corporis humani partium, modo unius, modo plurium, ex denegatione & prohibitione, ſpirituum animalium, à re aliquâ nervos & muſculos, ſine quorum naturali conſtitutione, motus voluntarius exerceri non poteſt, præter naturam afficiente, cauſatâ, orta ac dependens.

Genus.

8. Proximum affectionis genus privationem ſeu abolitionem motus facimus, utpote quâ vera ejus eſſentia rectè demonſtratur: ſiquidem quocunque modo tempore ac loco eâ præſente, certiſſima ſtatim actionum in membris determinatis abolitarum ſeſe offerunt ſymptomata.

Valeſc. de Taranth. prax. l.1. c.20. Nicol. Flor. ſer.3. Tract.3. c.1. Hor. Aug. Epiſt. med. l.3. p.397.

9. Hoc igitur reſpectu ſi conſideremus paralyſin facile patere poteſt cuivis, ad actionum læſarum Symptomata eam eſſe reducendam. Sin verò, ut nervorum à re aliquâ p. n. obſtructionem, aut aliunde ortam anguſtiam illam contemplemur, vel etiam eorundem elongationem reſpiciamus, morbum in via & quantitate eandem appellabimus.

10. Cum autem per motus voluntarii privationem Paralyſin definimus, non negamus ſenſuum etiam caſum interdum ſimul poſſe conjungi, eoque tunc malum, communi me-

dico-

dicorum atteſtante ſuffragio, longè evadere pertinacius & periculoſius. Interim & hoc damus, unum non raro dependere ex altero, & hoc ſine illo nonnunquam poſſe ſubſiſtere: nervicq; ſenſoriis dictis tantum laborantibus, denegato ſpirituum pro ſenſu influxu, ἀναισθησίαν ſaltem & ſenſuum q. carentiam oriri; malo vero paulò affligente mitius, νάρκωσιν i.e. Torporem ſeu Stuporem, quem ad veram paralyſin viam dixerunt autores, fieri. *Aret. l. 1. de ſympt. & cauſ. diuc. morb. c. 7.*

11. Præterea, cùm motuum quædam in corpore ſeſe offerat diverſitas: & alius voluntarius dicatur, alius vero naturalis: Hoc donata pleraque viſcera, ventriculus, epar, lien, inteſtina, venæ, aliæque partes, neceſſaria ſibi alimenta attrahunt, excrementaque, & quicquid moleſti ipſis poteſt accedere, longè à ſe exterminant. Ille vero ſolis competit muſculis, qui quidem primariò & per ſe, ſpiritibus animalibus perfuſi, conſilii voluntatisq; diſpenſatione contrahuntur, ac dependentia inde membra, naturali quadam communicatione ſecum de loco in locum transferunt. Hunc alterum motum poriſſimum, quo pro intellectus & voluntatis imperio vel uti vel non uti poſſumus, aboleri in paralyſi, priore illo manente incolumi, affirmare non dubitamus. *Greg. Horſt. Execut. de corp. hum. l. 1. Exer. 11. th. 1. Gal. de motu muſcul. l. 2.*

12. Subjectum paralyſis commune, partes corporis humani in definitione eſſe diximus, eas tamen non omnes in univerſum ſimul, ſed certas ſaltem ac determinatas, modo hanc, modo illam, modo unam, modo plures. Non enim eundem perpetuò hoc malum proceſſum obſervat & ordinem: ſiquidem reſolvi videmus interdum alterum ſaltem laterum, idq; vel dextrum vel ſiniſtrum, vel utrumque nonnunquam: interdum vero peculiares tantum ac determinatæ corporis partes affliguntur. Inde non infrequentes ſeſe offerunt paralyſes, brachiorum, manuum, digitorum, crurum, pedum, palpebrarum, oculorum, linguæ, veſicæ, ani & aliarum corporis humani partium. *Subjectum. Fel. Plat. qu. med. qu. 48.*

13. Sed & nervorum ac muſculorum fecimus mentionem, quos omninò pro adæquato paralyſis ſubjecto accipiendos eſſe ſtatuimus. *Senn. Inſt. l. 1. c. 15.*

14. Cum

Hieron. Capiv. prox. l. 1. c. 24.
Senn. Inſt. l. 1. c. 7.

14. Cum autem in muſculo (ut pote præcipuo κινήσεως προαιρετικῆς inſtrumento, variarum partium ſit complexus & coagmentatio, & pro neceſsitate edendarum operationum, in quâlibet parte organicâ, modo major modo minor ſit ſimplicium apparatus, nec tamen cujusvis partis compoſitionem ingredientis eadem perpetuo neceſsitas & efficacia, ſed una plerumque inveniatur præcipua operationum cauſa, reliquis ſaltem vel ad tutelam, vel meliorem adminiſtrationem ordinatis: meritò & hîc diſpiciendum, cuinam illarum potiſsimæ tribuendæ vices veniant?

Hor. Aug. Epiſtol. & conſult. med. l. 1. p. 397.
Inſtit. l. 1. c. 15, & l. 2. p. 3. ſ. 2. c. 5.
Gal. de loc. aff. l. 1.
Senn. Inſt. l. 1. c. 15 & l. 2. p. 3. ſ. 2. c. 5.

15. Eſt autem, ut ex præcedentibus patuit cujusvis muſculi præcipua ac propria actio, motus voluntarii exercitium, quod is ſui verſus principium contractione exequitur. Illius autem contractionis, non equidem nervi ſunt autores, ſiquidem illi hoc qn. tales, atteſtante Cl. Domino Sennerto, præſtare haud poſſunt: etſi etiam ſine illorum implantatione omni ſpirituum animalium influxu ſublato, nullius muſculi forent utilitatis. Unicè autem hæc operatio fibris adſcribitur. Iſtæ enim ſunt principales muſculi partes, quarum miniſterio & ope, motus abſolvitur omnis; adeo quidem, ut nulla uſpiam detur movendi potentia, niſi quæ fibris intenſis & verſus originem ſuam retractis muſculo communicetur.

Senn. Inſt. l. 1. c. 15.

16. Atque hinc ſanè pro diverſitate poſitus fibrarum in diverſis corporis membris, movendi conatum omninò experimur multiplicem: id quod videre etiam licet, in naturalibus viſcerum operationibus: Sic enim per rectas & ſecundum tunicarum longitudinem diſpoſitas fibras, alimenta ſibi ventriculus attrahit, obliquis retinet: transverſis vero expellit Chylum, & inteſtinis communicat.

Gal. de ſympt. cauſ. l. 1. & de uſu part. l. 3.

17. Et hæc licet ita ſatis ſint manifeſta, nihilominus tamen omnis tàm fibrarum quàm muſculorum virtus evaneſcit, niſi nervorum optimè conſtitutorum præſentiâ gaudeant. Hi enim ſpirituum animalium diſtributioni deſtinati, inſtar canalium ſe habent & occultorum ductuum, quibus vigor omnis â cerebro muſculis devehitur, ſine cujus communicatione ab actionibus debitis & fibras & muſculos feriari eſt neceſſarium.

18. Ner-

18. Nervos autem intelligimus non ſolùm eos, qui ſingulis partibus per ſe ſunt implantati: & à quibus immediatè ſpirituum influxus membris conceditur, ſed eorum etiam principia & origines, ſpinalem ſc: medullam, prout ea vel adhuc in cranio continetur, & ſeptem communiter progerminat nervorum paria: vel jam extra cranium in vertebras prolapſa, reliquis totius ædificii neceſsitatibus proſpicit. Nec etiam hinc excluſas volumus nervoſas partes, tendines & membranas muſculorum, ut pote omnes ad motum rectè edendum neceſſarias.

Gal. de nerv. diſſ. & de Hipp. & Plat. decret. l. 7.
Gal. de locis aff. l. 1.

19. Scilicet habet, e hæc ſpinalis medulla, inſtar fontis perennis, ac perpetuæ ſcaturiginis, cunctis corpuſculi humani partibus ac membris largos gratioſi liquoris rivulos concedentis, quâ bene conſtitutâ, omnes actiones animales in ſummo perſiſtunt flore: quâ laborante, continuo eas labi ac concidere manifeſtè cernimus.

Nicol. Florent. ſ. 3. Tract. 3. c. 1.
Actuar. de method. med. l. 1. c. 19.

20. Ut autem primum hujus principium & origo cerebrum, in duas partes eſt diviſum, dextram & ſiniſtram: ita & quæ huic eſt continua, & ex eo ceu fluvius quidam prolabitur ſpinalis medulla, à primo ejus ex cerebello egreſsu, usque ad ultimam extremitatem bifida facta, per tenuiſsimam & ferè imperceptibilem membranulam, à piâ matre exortam, in duas medietates eſt diſsecta, ne unâ medietate læsâ alterius quoq; ſtatim vires & operationes conciderent, id quod in quotidianâ praxi, ex alterius ſaltem lateris paralyſi, reliquis membris nihil mali patientibus, eſt notiſsimum.

Valeſ. de Tarant. pract. l. 1. c. 20.
Anat. Mundini de durâ & piâ matre.
Bauhin. Theatr. Anat. l. 3. c. 17.

21. Stante igitur hoc, & ex prælibatis ſufficienter cognito; ad omnem motus executionem, debito nervorum & muſculorum miniſterio eſſe opus, non poteſt non fieri manifeſtum, motu p. n. aliquid patiente, quo vel imminuatur, vel inhibeatur penitus, utrosque lædi conſimiliter, ſive alteri illorum ſaltem ſeorſim mali quid accidat, ſive ſimul utriq;.

22. Ubi tamen notandû, primariò quidem in hoc affectu nervos affligi, eosque motorios præcipuè; quando nimirum illi, quâcunque de causâ ejusmodi diſpoſitionem incurrunt, quâ ſpirituum animalium tranſitus prohibetur, quò minus per

Horat. Augen Epiſtol. & côſult. med. l. 3. p. 397.

Riolan. l. 1. de part: meth. med. c. 11.

corpus ad ſingulas partes poſsint influere: muſculos autem lædi ſecundariò, qn. per conſenſum neceſſarium nervis patientibus ſunt connexi.

Cauſſa. *Hippocr. de fæmin. morb.*

23. Sed ad cauſarum explorationem nobis nunc eſt tranſeundum. Cùm enim cognitionis harum tanta ſit neceſsitas, ut absque eâ morbum vel leviter infeſtantem exturbare ſit impoſsibile, omninò exactior harum disquiſitio in Medico Dogmatico eſt requirenda.

Hieron. Capiv. prax. l. 1. c. 24.

24. Sunt a. harum cauſarum non omnes ejusdem generis: primum tamen inter reliquas locum occupare videtur Continens, quæ ipſa ſuâ præſentiâ malum ponit ac fovet, abſentiâ verò continuò amovet penitus. Hanc nos hîc unicam in membris agnoſcimus, ſpirituum animalium ad motum neceſſariorum defectum, ob vitioſam nervorum diſpoſitionem, influxum illorum â cerebro, & legitimam in membra diſtributionem prohibentem, ortum.

25. Pro triplici autem morborum genere, triplici etiam modo p. n. affici poſſunt nervi, ut ad naturalia ſua munia exequenda reddantur inidonei, quando ſc. morbos patiuntur intemperiei, vitioſæ conformationis ac ſolutæ unitatis.

Hipp. 5. Aph. 18, Gal. in aph. Hipp. l. 5. aph. 22. *Ugo Senen. de ægrit. nerv. conſ. 16.* *Ætii tetrab. 4. ſerm. 2.* *Gal. de loc. aff. l. 2.*

26. Intemperiem quod attinet, nemo eſt qui ambigat, Frigidam & Humidam p. n. diſpoſitionem paralyſeos ac reſolutionis nervorum cauſam eſſe frequentiſsimam, ſive ea ſeorſim conſideretur, ſive conjunctim, ſive ſimplex ea ſit & ſine materiâ, ſive compoſita & cum materiâ combinetur, cuicunq; etiam occaſioni, internæ vel externæ debeat originem. Sive enim hoc ſive alio modo & motu incidat frigus, ſemper nocere aptū eſt, & damna infligere nervis, cerebro dorſali medullæ, oſsibus item ac dentibus, nec non omnibus aliis nervoſis partibus: Hinc cavent adeo Chirurgiæ principes, ac prohibent, ne in nervorum vulneribus aut læſionibus aliis, pars affecta nudo exponatur frigori, utpote quòd ex eo facile ſtuporem, convulſionem, paralyſin aut aliud grave periculum ea poſsit incurrere.

27. Ab Externis cauſis non uno modo induci paralyſis apta eſt; huicq; læſionis generi obnoxii ſunt potiſsimum atque frequentius

quentius ii, qui in ætate ſenili conſtituuntur, & quibus per naturæ primordia, aut hæreditariam legem, frigidior & humidior nervorum conſtitutio obtigit. Iſtos enim omnes non ratio tantum ſed & experientia teſtatur longè aliis faciliùs affici & paralyſin incurrere, ſi ab ejusmodi cauſis, vel levioribus etiã, quas alii ſine noxà perferrent, impetantur. Pertinet autem huc, quicunq; rei frigidæ diuturnior contactus, qualis eſt nivis & glaciei contrectatio, ingentis frigoris occurſus, quod condenſare nervos, cogere atque adſtringere valet, aquæ frigidæ perfuſio aut balneũ: profectio per loca frigida & nivoſa, corpore aut præcipuis partibus nõ bene veſtib9 munitis, aeris ambientis frigidi impulſus, factus præſertim ab exercitio & ſudore, quo tempore poris corporis dilatatis liberior atomis frigidis conceditur introitus; tempeſtas nebuloſa ac hyemalis, ventus Septentrionalis ac pluviæ. Idem accidere poteſt & iis, qui inconſideratè diutius ſedendo moram trahunt in lapidibus frigidis, & in locis humidis nudis pedibus ambulant, ut & qui juxta fluviorum ripas verſari, aut juxta vel in aquis ſuas artes exercere conſueverunt, uti fullones, navigatores, piſcatores, urinatores: nec omittendi illi qui continuis potationibus & ingurgitationibus ſtuporem, torporem, paralyſin & omnium nervoſarum partium debilitatem ſibi attrahere ſunt ſoliciti.

Gal. in aph. Hipp. l. 3. Aph 23. Bened. Vict. Favent. pract. ſect. 1. c. 18. Plat. quæſt. med. 75. Gal. in l. 1. Hipp. de morb. vulg. comm. 2. Cornel. Celſ. l. 1. c. 1. Gal. de loc. aff. l. 1. Capinacc. prax. l. 1. c. 24.

28. Quæ paralyſin inducunt cauſæ internæ, eodem id præſtare ſolent molimine, dum ſcilicet humores frigidi & humidi, pituitoſi, ſeroſi in corpore detenti, quâcunque de causâ, nervoſum genus continuâ perfuſione refrigerant & humectant, adeoque intempeſtivâ alteratione & laxatione naturalem ipſius temperiem demoliendo, ad commodam ſpirituum animalium ſuſceptionem & diſtributionem penitus efficiunt inhabile.

29. Humores autem iſti, etſi multis de cauſis in corpore poſſint cumulari, atque inde modò ad has modò ad illas partes à naturâ ſoleant amandari, communiſſimè tamen, vel ejus debilitate, vel viſcerum inferiorum robore, in caput delati illic congeruntur, donec copiâ tandem illorum, vel expultrice cerebri ſtimulatâ rurſus expellantur: vel propriâ gravitate

Fel. plater. prax. Tom. 2. c. 2.

moti, quâcunque viâ patente, tranſitum ad nervos moliantur, iisque vel obſtruendo, vel laxando vel comprimendo, creent moleſtiam.

30. Et in hisce antiquiores ferè acquieverunt cauſis, omnem inde voluntarii motus læſionis opinantes deduci poſſe originem: recentiores autem medici diligentiore rationis examine morborum naturas ſcrutati, impoſſibile eſſe, ut omnium παραλύσεων veræ cauſæ ex iſtis communioribus eruerentur, animadverterunt, Experientiâ ſcil. edocti, offerri interdum paralyſes adeò rebelles, adeò pertinaces, ut omnium medicamentorum, etiam efficaciſſimorum vim videantur eludere: qnod tamen circa vulgares & in communi notas cauſas evenire nequeat. Hinc adeo, nec qnidem immeritò, ſtatuere cœperunt, dari quædam, occultâ quâdam ratione agentia, & vi peculiari, ac narcoticâ qualitate nervis infeſta, quorum occurſu & offendiculo, tam grave malum inducerentur.

Senn. Inſt. l.2. p.3. ſ.2. c.5. Magnin. de regim. San. c. 6. part. 2.

31. Atque hîc ulteriùs progreſsis, tanquam externum agens primò ſeſe obtulit Mercurius Vivus, frequentiſſimus certè reſolutionis nervorum autor. Hic enim præter eam, quâ pollet humores in corpore humano fundendi & in alias atque alias partes propellendi, variasq; hoc motu ægritudines excitandi vim, ſpecificâ inſuper etiam quâdam & occultâ ratione toti nervoſo generi cenſetur inimicus. Teſtari poſſunt de ejus potentiâ Aurifabri, metallarii & alii quorum circa Mercurium deſudationes verſantur & artificia. Iſti enim ſæpius, præcipuè ſi minùs conſideratè circa objectum ſuum occupentur, tremores membrorum, ſtuporem & paralyſin patiuntur: imò non rarò juſtum vitæ terminum hâc occaſione ſibimet ipſis præcidunt.

Hieron. Card. l.3. de venen. c. 13.

32. In hunc cenſum referendus eſt piſcis ille, Oceano quidem Germanico ignotus, ſed mediterraneo tamen mari familiaris, quem Græci νάρκην, Torpedinem Latini, à torpore, Germani den krampfffiſch appellant; cui inſignis validiſſimo ſuo veneno ναρκωτικῷ nervos lædendi vis ineſt, ita quidem, ut quicquid tangat, illud reddat torpidum & ſtupidum:

Gal. de loc. aff. l.2. & 6. Cōrad. Geſn. Hiſtor. amin. l.4.

imo

imô captus hic piſcis, vel in aquis adhuc vivens, non ſolùm immediato contactu, ſed & mediante reti aut hamo, piſcatorum manus, pedes ac muſculos ſtupefacit, & totius corporis tremorem infert, unde & Tremulo ipſi nomen dederunt.

Franzius Hiſtor. anim. Tract.3. c.3. Senn: Inſt.l.2. p.3.ſ.2.c.5.

33. Vinum præterea in hunc ducendum ordinem, quod peculiarem atque occultam ſtupefaciendi facultatem, ſenſus quoque & ſpiritus alterandi, ſopiendi & q. figendi ac immobiles reddendi obtinere, experientiâ edocti ſcripsêre plurimi. Nec enim efficere poſſunt quicquam illi, qui ex manifeſtis qualitatibus, calore ſc: aut ſiccitate, vel etiam tenuitate ac vi penetrandi, aut acetoſitate ejus, occultos iſtos effectus & latentem quâ nervos ferire & malè afficere poſſit vim, conantur deducere.

Paul. Ægin. de re m.. l.1. c.95. Plat. quæſt. med.88 & 89. Joh. Matth. de Gradibus Conſil.med. 14.

34. Aſſertionis hujus veritatem ipſi vinorum potatores tuebuntur rectiùs, qui ex immodicâ vini ingurgitatione manuum ac pedum tremorem, totiusq; generis nervoſi debilitatem ſeſe contraxiſſe fatebuntur facile: imô ex immodico ſpiritus vini uſu, in ſoporem tâm profundum conjectos fuiſſe quosdam, ac ſi papaveris ſucco fuiſſent uſi, indeque ita ſæpe attonitos factos ut ad priſtinum ſanitatis ſtatum poſtliminio redire nunquam potuerint: vel & nonnunquam ſomno oppreſſos manſiſſe perpetuo, locuples eſt teſtis Experientia: quæ omnia, non niſi à vi narcoticâ in vino reſidente promanaſſe, facile adſeverabit quilibet.

Valeſc. de Tarant.pract. l.1.c.20. Gal. in aph. Hipp.l.6.aph. 28. Senn.prax. l.1.p.2.c.33.

35. Præter enumerata hactenus, dantur & alia, quæ ſimili modo nervos lædendi vim habent narcotica, papaver, ſolanum, hyoſcyamus, mandragora, opium, & quæ inde parari conſveverunt medicamenta, Opiata dicta.

Dioſc.l 6.c.15. 16. 17. Joh. Bapt. Mont. medic. l. 3. pag. 820.

36. Tandem & in hoc rectè ſentire videbimur, ſi internos quoque humores aliquando adeò â naturâ ſuâ deflectere ſtatuamus, ut ejusmodi pravâ ac narcoticâ vi acquiſitâ, æquè ac prædicta jam exretna, nervorum temperiem evertere, iisque præternaturalem διάθεσιν inducere valeant. Hujus farinæ ſunt plerumque ii, qui poſt apoplexiam, virtutis robore propulſi, ad nervos delabentes difficiles paralyſes nonnunquam

Senn Inſt.l.2. p.3.ſ.2.c.5.

Nicol. Piſo de cogn. & curand. m. l. 1. c. 16. Senn pr. l. 1. p. 2. c. 33. Senn Inſt. l. 2. p. 3. ſ. 2. c. 5.

efficiunt, ex quibus ægri ſæpiùs per totum vitæ curriculum cõtractam noxam deponere & ad priſtinas tàm cerebri quàm cæterorum corporis membrorum vires redire neſciunt.

37. Nec omittendi ſunt hîc illi humores, qui in Scorbuticis quibuſdam, vel ſub propriâ vel vaporum formâ ex inferiore colluvie elevati, paralyſin, ſcorbuticam dictam procreare conſueverunt.

Hor. Aug. Epiſt. & conſult med. l. 3. p. 397 Senn. Inſt. l. 2. p. 3. ſ. 2. c. 4.

38. Sic quis ſibi non perſuaderi patiatur, ut, haud rationi diſſonum, putet, vaporem illum Epilepſiæ autorem, narcoticâ &, obſtupefaciente vi eſſe præditum? ut pote cujus rei luculentum ac ſufficiens capere poſſit teſtimonium, ex profundo illo ſopore, quem in fine paroxyſmorum epilepticorum ſupervenientem ægri pati conſpiciuntur, dum malignâ illâ aurâ, paulò ante nervoſum genus & cerebri meninges vellicante, nunc a. ipſos cerebri meatus obſidente, patientes proſtrati, tam diu ſomno detinentur, donec quicquid ipſius fuerit reliquum, penitus vi nativi caloris diſpareat.

39. Intemperiem jam vidimus, organicas paralyſis cauſas nunc oportet comtemplemur. Occurrunt autem ſtatim, qui referant huc vitioſam conformationem, nervis vel ab ortu, ipſius formatricis Facultatis in utero errore non legitimè diſpoſitis, vel poſt ortum, quocuuque modo aliter à cauſâ p. n. læſis.

Felix Platerus prax. med. Tom. 1. l. 2. c. 2.

40. Facultatis formatricis errorem, & à nativitate contractum vitium, non rejicimus quidem, rarius tamen illud putamus occurrere: & tale quid eos pati credendum, qui muti & ſurdi in lucem eduntur, duobus privati ſenſibus, ex vitioſâ nervorum linguæ diſtributione, in hoc malum delapſi.

41. Poſt ortum autem multis modis, ſpirituum illos ductus & canales, à naturali conformatione declinare experimur quotidie, & imprimis frequenter accuſare ſolent nervorum anguſtiam, quâ ita afficiuntur illi, ut animales ſpiritus pro ſenſus & motus executione neceſſarios ad alias atque alias partes, liberè ac ſufficienter tranſire, & in totum corpus ſeſe inſinuare non patiantur.

42. Sunt

42. Sunt quidem nonnulli, qui ejuſmodi nervorum anguſtiam nolunt admittere, inter quos etiam eſt Adrianus Spigelius, rationibus ex ipſius corporis viventis conditione ac ſpirituum animalium naturâ petitis: ſiquidem probare conantur, in corpore integro adhuc & vitali aurâ perfuſo, non ita omnia eſſe collapſa & occluſa, ut in cadavere, omni jam vitali ſpiritu ac calore nativo orbato, cujus defectu & abſentiâ præcaveri neutiquam poſsit, quò minus pori in vivente aliàs ſatis aperti, & meatus non inconſpicui in ſeſe collabautur penitus & evaneſcant. *de hum. corp. fabr. l. 7. c. 1.* *Senn. Inſt. l. 3. p. 1. ſect. 2. c. 3.*

43. Et utut concedendum putent, quandam nervorum anguſtiam, eam tamen ſpirituum animalium naturam eſſe aſſerunt, ut ob ſummam illam tenuitatem, quâ per propriam naturam ſunt donati, nihilominus inſtar fulminis etiam occluſa corpuſcula, vel minus patentes vias pervadere ac penetrare valeant. *Hor. Augen. Epiſt. & conſult. med. l. 3. p. 397.*

44. Quamvis autem modò allatæ Spigelii probationes non planè ſint de nihilo, ſuoque modo ac ſano ſenſu eas poſſimus admittere: attamen, quia inter agens & patiens, ut legitima fiat operatio, debitam proportionem ſemper oportet intercedere, & ut Scaliger ait: recipiens non recipit per modum imprimentis, ſed per modum recipientis, omninò erit neceſſarium, ut non ſolùm ſpiritus animales per ſuam naturam optimè conſtituti, puri dentur ac ſubtiles, ſed etiam recipiens organum ita ſit comparatum, ut influxum illorum commodè admittere, & tranſeuntibus ſpiritibus liberam & expeditam viam largiri ſit idoneum. Ideoque ſufficientem cauſam nondum habere nos arbitramur, quò minus receptam hanc de nervorum anguſtiâ ſententiam retineamus, eamq; vel obſtructione vel compreſſione vel conſtipatione induci poſſe judicemus.

45. Obſtructionem quidem nervorum ab humoribus craſſis & phlegmaticis plerumque fieri aſſerunt vulgo omnes, atque ita ſubſtantiâ illorum medullari, alieni liquoris illitu obturatâ, ſpirituum animalium permeationem denegari. Cui tamen ſententiæ Felici Platero non lubet adhærere, propterea, quod nervi ſolida planè ſint corpora, nec ullam ſenſibilem *Ætii tetrab 2 ſerm. 2. c. 28. Prax. medic. Tom. 1. l. 1. c 2. & quæſt. medic. 48.*

lem obtineant cavitatem, atque hinc propriè obſtrui nequeant. Deinde quod eorum ſubſtantia & ſoliditas non ſit continua, ſed contigua potius, & ex infinitis quibusdam filamentis ſeu funiculis conflata, atque ideo humorum alienorum receptioni minimè obnoxia.

Adrian. Spigel. Anatom. l. 7. c. 1.

46. Verum multum in hâc quæſtione laborarunt, utrum ſcilicet cavitatem aliquam habeant nervi, nec ne? neque de eâ re adhuc hodie conveniunt Anatomici. Et licet omninò ſenſibili cavitate non eſſent præditi, quam certè nervis opticis concedere non verentur omnes, tamen abſurditatis alicujus convinci poſſe non putabimur, ſi nervorum ſubſtantiæ, humorem à cerebro defluentem ſeſe inſinuare, eamque ſuâ præſentiâ implere & obſtruere valere credamus: imò, ſi vel maximè ſenſibili cavitate deſtituerentur nervi, interim tamen, per filamentoſam eorum ac medullarem & poroſam ſubſtantiam ſpiritibus tranſeuntibus eò facilius obicem poni arbitramur, ſi alienus humor ipſis ſuper inſtilletur, quàm ſi conſpicuâ cavitate gaudentibus idem contingeret.

Gal. de loc. aff. l. 4. Gab. de Zerb. in anatom. nerv. Senn. pract. l. 1. p. 2. c. 27. Horat. Aug. Epiſt. & conſult. med. l. 3. p. 397.

47. Etſi autem frigidi & pituitoſi humores ejusmodi obſtructionis autores ſiant frequentiùs: tamen melancholicos & bilioſos non plane excludendos cenſemus. Licet enim hi per ſe & ſeorſim exiſtentes hoc non ita frequenter & facile præſtent, tamen nihil obſtare putamus, quominus interdum, præſertim pituitæ permiſti ad idem malum procreandum ſufficiant. Hinc non rarô animadvertunt Practici, Colicam bilioſam in paralyſin tranſire, & febres acutas, bilioſis humoribus pituitæ commiſtis, in ſpinam dorſi ac nervorum origines effuſis, affectus paralyticos comitari.

Senn. Inſt. l. 2. p. 3. ſ. 2. c. 5. Fernel. de part. morb. & ſympt. l. 5. c. 3. Job. Crato Conſ. med. l. 3. Conſ. 14.

48. Præter dictos, ſæpe cumulantur in corpore & alii humores ac ichores, tàm manifeſtis quàm occultis & narcoticis qualitatibus nervos afficientes, qui ex quocunque diætæ errore poſſunt ſuppeditari. Quid enim accidit mali in corpore, quod non primariam ſuam variis in victu & aliis rebus non naturalibus commiſſis erroribus debeat originem? Huc ergo faciunt alimenta frigida & humida, ſi præſertim non omni nervos lædendi vi deſtituantur, cibus immodicâ copiâ ingeſtus

Senn. Inſt. l. 2. p. 3. ſ. 2. c. 5.

ctus, potus nimius, ſomnus modum excedens, pigritia & omnis motus intermiſſio, conſvetæ alicujus evacuationis repreſſio: labor etiam & nimius corporis motus omnis, venus frequentior, gaudium profuſum, ira, timor, & ſi qui ſunt alii affectus vehementiores: hi enim humores in corpore movendo, ipſorum ad nervos translationi occaſionem præbent.

49. Secundam anguſtiæ nervorum cauſam compreſſionem fecimus, quæ variis modis induci poteſt, dum ſcil. vinculis injectis, vel quâcunque fortiori ligaturâ membrorum, interiores nervorum ductus in ſeſe coguntur, & ſpiritui animali, quò minus in eas partes, quibus ex certo principio nervi communicantur, poſſit pertingere, liber denegatur tranſitus. Idem ſine vinculorum adhibitione, uſu venire ſolet frequentius, dum ab ipſis membris ſibi invicem incumbentibus nervorum fit compreſſio, quando ſcil. per ſomnum aliquis, præſertim frigido aeris impulſu accedente, capiti brachium diu ſubſternit, aut eidem etiam tenet impoſitum: idem præſtat diutinus capitis in cubitum innixus & femoris ſupra femur collocatio: Hinc alicubi Hippocrates: ſi quis confideat, ut ſangvis de ſuperioribus partibus in tibias ſurasve non deſcendat, pedes torpeſcunt, inhibito ſcil: ſpirituum animalium influxu, dum ſangvine, in unum meatus ſui locum copioſiùs ſtipato, proximè ſubjacens nervus, tumoris pondere, ex diſtentione venæ, ob ſangvinem impactum orto, in ſeſe coactus, viam ſpiritui intercludit: ſed hæc mala tamen ferè plerumque ſunt momentanea, & veræ paralyſeos cauſæ rarò dici merentur. *Valeſc. de Taranth. pract. l. 1. c. 2.*

50. Alio autem modo ſe habet compreſſio nervorum ea, quæ ab aliis p.n. tumoribus, non ita facile loco moveri aptis, ortum habet. Huc commodè, illum paralyſeos generationis modum trahimus, qui ex humoribus in cavitate vertebrarum dorſi, quâcunque de cauſâ collectis, & ſuâ vel copiâ vel pondere, ſpinalem medullam, aut illius ramos ac propagines, externo impulſu cumprimentibus, vel & ſimul humiditate ſuâ, prædictos ſpirituum meatus irrigantibus, laxantibus *Fel. Plat. prax. med. T. 1. l. 2. c. 2. Rondelet. 1. meth. cur. morb. c. 32.*

ac refrigerantibus ortum ducit, ſæpeq; ſat diuturno temporis ſpatio ſolet affligere.

51. Reliqui compreſſionum modi ſeſe offerunt in nervorum cicatricibus, callis & tuberculis poſt eorundem vulnera ſubortis, aut à contuſione, caſu ex alto, ictu & percuſſione violentiore factis: hæc enim vel per totam vitam membrum motu poſſunt exuere. Huc etiam pertinet omnis derepentè concitata vertebrarum dorſi luxatio: item tumores nervis extrinſecus incumbentes, nimia arteriarum & venarum nervis ſuperimpoſitarum plenitudo: res nimium adſtringentes & condenſantes exterius adhibitæ. Hæc enim omnia, licet inæquali robore & duratione, nervos in ſe poſſunt cogere & ſpiritibus animalibus tranſituris viam intercludere.

Fern. d. part. morb. & ſym. l. 5. c. 3. Gal. de ſympt. cauſ. l. 1. Capivacc. prax. l. 1. c. 24.

52. Tertia anguſtiæ nervorum cauſa conſtipatio eſt, quam alii denſationem & coarctationem appellant, cum nervus à naturali ſuâ tenuitate recedens, craſſiorem ſubſtantiæ modum ac conditionem aſſumit: Id quod ipſi duplici ratione poteſt accidere.

53. Primò enim, præterquam quod omnia frigida nervis ac nervoſis partibus maximè noceant, earumque naturalem ſtatum poſſint evertere, evenit interdum, ut ſi externo frigori paulò intenſiori objiciatur, ſive aquæ nimis frigidæ diutius immoretur nervus, repulſis ſpiritibus, & ſubſtantiâ ejus medullari, molli ac poroſâ in ſe coarctatâ, totius nervoſi corporis habitus, condenſetur, & liberæ ſpirituum receptioni reddatur inidoneus.

Arnold de Villâ nov. prax. l. 1. c. 24.

Gal. de ſympt. cauſ. l. 2.

54. Deinde etiam ex naturali ſubſtantiæ modo deturbat nervum, vitioſi alimenti ſuppeditatio. Cum enim, pro ratione ſpirituum puriſſimorum, tenuiſſimorumque, etiam nervus omni craſſitie ac impuritate carere debeat, ac proinde ejusmodi alimentum pro nutritione poſtulet, quod ipſius habitum, in naturali conſtitutione conſervare ſit aptum: aliter fieri non poteſt, quàm, ut vitioſo, ex craſſis, viſcidis, aut alio modo non bene ſeſe habentibus cibis alimento affluente, quæ conſervanda erat nervi conſtitutio, à rectâ temperie depel-

Gal. de reſpirat. utilitate. Capivacc. prax. l. 1. c. 24.

Gal. de ſympt. cauſ. l. 1.

depellatur, & denſiore impurioreq; ſubſtantiæ modo contracto, ſpirituum miniſterio officiat.

55. Solutam unitatem demum etiam paralyſin gignere poſſe nullum eſt dubium. Cùm enim omnia corporis membra, ad unius integri compoſitionem, ſibi invicem vel ſint continua vel contigua, alio modo virtutis influentis communicationem ſibi promittere nequaquam poſſunt, niſi ea per ejusmodi continuos ductus ipſis concilietur. Hæc ergo continuitas, ſi vel ſectione, ruptura, eroſione, contuſione, vel aliis modis violentis, in nervis aboleatur, aliter omninò fieri non poteſt, quàm ut in momento q. omnium partium, quibus à canali affecto proſpectum fuit, Senſus & motus in totum evaneſcat, niſi ab aliis aliunde ramulis illæſis, ſpirituum adhuc aliquid iis transmittatur. *Fel.plat.med. pract.Tom.1. l.2. c.2.*

56. Sunt autem paralyſeos quædam differentiæ, tàm partium affectarum, quàm cauſarum eam inducentium, aliarumve circumſtantiarum ratione. *Differentia.*

57. Etenim Generis ſeu Eſſentiæ habito reſpectu, alia Exquiſita, conſummata & perfecta dicitur, in quâ utrâque tàm ſentiendi quàm movendi potentiâ privantur partes: alia inchoata eſt ſaltem & imperfecta, quæ triplici ferè modo poteſt contingere: Interdum enim motus aboletur, ſenſu illæſo: interdum vero ſenſus ſaltem cadit, illæſo motu: interdum demum, ſenſus etiam perit quidem, motus autem torpeſcit & non aboletur penitus: & hæ duæ poſteriores, paralyſis nomine indignæ, ut Gorræus loquitur, ſtuporis indigitantur titulo. *Nicol.Florent.ſerm.3. Tract 3.c.1.*

58. Locorum affectorum ratione, paralyſis primò Alia παραπληξία vocari ſolet, in quâ partes omnes ſub capite, ſive totum corpus reſolvitur, ſolo capite ejusque operationibus ſalvis: Alia ἡμιπληγία, der halbe Schlag/ quando alterius ſaltem lateris, ſive dextri ſive ſiniſtri membra malo oppreſſa jacent. Deinde Alia eſt Univerſalis, qnando vel omnes ſub capite partes, ut paulò ante dictum, vel plurimæ ſaltem afficiuntur: Alia particularis, in quâ certum aliquod & determinatum membrum, veluti brachium, manus, digitus, lingua, oculus &c. functionum debitarum jacturam patitur. *Senn.Inſt.l.2. p.3 ſ.1.c.8. Fernel de part. morb. & ſympt. l.5.c.3. Gal. de loc. aff.l.3.*

59. Pro cauſarum efficientium diverſitate, ortum ducit paralyſis, alia ab internis, humore ſcil pituitoſo, craſſo, vel per ſe tali, vel inſuper narcoticâ vi prædito: alia ab Externis, ut frigore immenſo, diuturniore in aquis frigidis morâ. Rurſum alia eſt Ab intemperie, communiſſimè frigidâ & humidâ (calidam enim & ſiccam intemperiem, ferè non vel ſaltem rariùs videntur admittere autores,) eâq; vel ſimplici vel compoſitâ, ſine vel cum materiâ: Alia à conformationis vitio, & nervorum anguſtiâ triplici: alia denique ab unitatis ſolutione proſiciſcitur; ut de omnibus iſtis ſuperiùs dictum eſt latiùs.

Trallian. l. 1. c. 16. Rondelet. l. method. curan. morb. c. 32. Senn. Inſt. l. 2. p. 3. ſ. 2. c. 5.

60. Modum invadendi quoque non eundem hæc affectio obſervat ſemper: atque hinc alia à ſe & per cauſam primariam, nullo alio præcedente affectu p. n. hominem ſolet corripere: alia verô ſecundariò, aliunde arreptâ occaſione invadit, & nonnunquam in modum Criſeos, vitioſo humore, virtutis robore in determinatas partes depulſo, alios morbos comitatur.

Hor. Aug. Epiſt. & Conſ. med. l. 2. p. 397.

61. Ex harum numero frequentiores & magis celebres ſunt, tàm quæ Colicam ſequitur paralyſis, quàm quam Scorbuto laborantes ſæpiùs nonnunquam ac velint experiri conſueverunt.

Alzabarav. pract. ſect. 2. c. 23. Senn. Inſt. l. 2. p. 3. ſ. 2. c. 5.

62. Et quidem ex Colicâ ortam paralyſin quod attinet, excitatur ea à tenui potius & ſeroſo ac bilioſo humore, ex inteſtinis & venis meſaraicis ſpinali medullæ communicato, nervorum tamen principio perſiſtente incolumi & illæſo.

63. Non parum autem hæc à vulgari & antiquis notâ paralyſi diſsidet, Unde & πάρεσιν eam potius, peculiari nomine, differentiæ ergo, quàm paralyſin appellare quidam malunt.

Crat. Conſ. & Epiſt med. l. 1. conſ. 11. Joh. Crato Conſ. medic. l. 3. Conſ. 14.

64. Pars affectâ in hâc paralyſis ſpecie non eſt cerebrum. Hoc enim cum nervorum principio hîc ut plurimùm nihil patitur incommodî: ſed brachiorum potius & pedum munia deſtruuntur, vitioſo apparatu, ex inteſtinorum venis per cavam ad artuum muſculos delato.

65. In

65. In vulgari paralyſi ſenſus ferè ſimul cum motu perit, hîc autem, licet membra affecta movere patientes nequeant, atrociſsimos tamen & acerbiſsimos aliquandiu in iis perferre coguntur dolores, qui nonnunquam in convulſiones affectarum partium ſolent deſinere. Curationem autem plerumque admittere conſvevit faciliorem, quàm vera paralyſis, cui ſæpius efficaciſsima etiam non ſufficiunt remedia: cùm hæc non rarò brevi temporis ſpacio exſcindatur penitus.

Senn. Inſt. l. 2. p. 3. ſ. 2. c. 5.

66. Ab hàc non multum diverſa eſt, ſcorbuticam quam vocant, Paralyſis, iiſdem ferè indiciis à vulgari & antiquis notâ cum præcedente diſcriminata: etenim nec in hàc omnis ſenſus & motus aboletur, ſed cum difficultate quâdam ſaltem & ſtupore manuum ac pedum operationes obeuntur: breves autem plerumque durationes habet, quæ tamen ſæpiſsime repentino inſultu, & cum minimè metuas, de novo ſolet recrudeſcere, ſcorbutico humore occultâ ratione nervoſo generi infeſto, acerbiſsimis doloribus in infimo ventre excitatis, levi de causâ, ex ſuâ mobilitate, unoq. momento nervis communicato.

Senn. Inſt. l. 2. p. 3. ſ. 2. c. 5.

Signa διαγνωστικά.

67. Signa διαγνωστικὰ, quibus paralyſi correptum hominem cognoſcimus, ex abolitione & ceſſatione motus voluntarii manifeſta ſunt: Et ſeorſim quidem, ſi malum affligat mitiùs: ſin gravior ſit affectus, accedit torpor, præterea ac ſenſuum deſtructio, nec abeſt membri reſoluti laxitas & mollities, imò etiam gravitas, ut cum partem affectam elevare coneris, eandem mox ſibi relictam, ſuâ mole ac pondere inferiora verſus relabi animadvertas.

Fern. de part: morb. & ſympt. l. 5. c. 3.

68. Eſt & hoc dignum notatu, quod interdum in parte affectâ ingentis, ac ſi nivi eſſet immerſa, frigoris percipiatur ſenſus: maximi vero caloris contra in incolumi. Ob denegatum n. ſpirituum animalium ad membrum paralyticum affluxum, torpeſcere illud & frigidis humoribus perfundi, ab iiſdemque debilitari eſt neceſsarium: hinc ergo ad receptionem ſpirituum vitalium per arterias â corde affluentium inhabile, frigiditati magis continuô atque magis immergitur, quemadmodum

Aretæus l. 1. d. ſign. & cauſ. diuturn. morb. c. 7. Nicol. Flor. ſ. 3. Tract. 3. c. 1. Gal. de uſu part. corp. hum. l. 1.

 & in-

& in alterâ illæsâ parte, ſpiritus ab affectâ reſilientes, cum portione huic propriâ recepti, calorem ſanæ partes conduplicât, atque ita ſuperabundantis caliditatis in ea ſenſum generant; quo fit ut & pulſus illius partis reddatur major, vehementior atque frequentior, pro caliditatis ſc: proportione ac incremento, in affectâ autem & torpidâ idem parvus, debilis & tardus habeatur, imò ſi malum protrahatur, aut negligatur curatio, in difficillimam membrum tandem delabi ſit neceſſarium ἀτροφίαν & maciem.

Gal. de cauſ. pulſ. l. 4.
Fern. d. part. morb. & ſymp l. 5. c. 3.

69. Duo autem potiſsimum diligenter ſunt inveſtiganda, â quorum cognitione, omnis legitima curandi ratio unicè dependet: locus nimirum primariò affectus & cauſæ â quarum præcurſu affectus fuit genitus.

70. Circa locum affectum notandum eſt, ſine utilitate ipſi interdum â minùs perſpicacibus medicamenta adhiberi, ex eoque nullum ægrum percipere commodum: ſiquidem ratio curandi requirit ſemper, ut utilium remediorum, ſi bonum finem conſequi velimus, & cauſæ morbificæ, debito modo, neceſſarius fiat contactus, qui tamen in parte affectâ ſæpius ſperari non poteſt, cùm cauſa morbifica non ſemper in eâ ſed longius interdum remoto membro hæreat, in quo ſc: principaliter offendiculo ac læſioni nervus fuit expoſitus. Hujus rei egregium exemplum Galenus nobis reliquit, qui è vehiculo aliquem in dorſum delapſum, indeque trium digitorum ſenſu privatum, medicamentis longo jam temporis ſpacio, ipſis digitis ſine effectu adhibitis, dextrè jam ſpinæ dorſali, ad primum nervi exortum, poſt ſeptimam vertebram admotis, cum ſummâ adſtantium & ſpectantium admiratione priſtinæ ſanitati reſtituit.

Alex. Trall. l. c. 16.
Gal. de locis affect. l. 1. c. 6.

71. Ad hujus igitur loci primariò affecti cognitionem, facile devenire poteſt nemo, niſi qui exquiſitam anatomes intelligentiam ſibi comparavit. Huic n. innoteſcet facile, unde cuilibet parti nervi veniant, & per quas vias ducti membris quibuslibet tandem implantentur. Iſtis n. cognitis, poſtea non erit laborioſum diſcernere, an in principio ac exortu ſuo nervus laboret: an vero in medio aut fine itineris fons mali ſit incluſus.

Fern. d. part. morb. & ſympt. l. 5. c 3.
Capinacc. prax. l. 1. c. 24

71. Etenim ſi infra caput, omnes partes ſint reſolutæ, ſenſumque ac motum amiſerint, quis non totius ſpinalis medullæ vitium inde colliget? hujus autem dimidia pars tantum laborabit, ſi functiones dictæ in alterutro latere deficiant. Si nervos è cervicis vertebris ſcaturientes lædi contigerit, brachiorum & manuum motus lædetur neceſſariò. Oſsis ſacri nervis, & qui è lumborum vertebris prodeunt, læſis, pedum motus abolebitur. Si cui linguæ motus periit, ipſi tertii & ſeptimi paris nervorum propagines afficientur. Secundum nervorum par, oculorum motui eſt deſtinatum, unde ſi id obſtruatur, aut aliomodo offendatur, paralyſis invadit oculos, eorumque motus abrumpitur. Sic ſi recurrentes nervi â ſexto pari oriundi malè afficiantur, vocem pro ratione & magnitudine noxæ, vel ex toto vel ex parte perire neceſſe eſt. Caput circumagere nequeunt ægri, abolito ſimul buccarum cervicisque in latera motu, ſi nervi poſteriores ex primæ, 2dæ, tertiæ, 4tæ, 5tæ aut 6tæ cervicis vertebrarum propaginibus enati, affecti ſint. Cervix flecti nequit, nervis dictarum propaginum anterioribus læſis. Hoc modo ſemper, pro partium affectarum numero & varietate, variorum etiam nervorum accidit offenſio.

Senn. Inſt. l. 2. p. 3. ſ. 2. c. 5.
Gal. de loc. aff. l. 3.
Gal. de locis aff. l. 1.
Senn. pract. l. 1. p. 2. c. 27.

73. Cognito loco affecto, non minor cura eſt habenda de cauſæ inveſtigatione: quæ quidem latere non poterit, ſi ea quæ malum antegreſſa ſunt diligentius perluſtremus.

74. Etenim, ſi quæ frigidam & humidam intemperiem producere apta nata ſunt, & ſuperius â nobis conſignata habentur, præceſſerint, paralyſin ex frigidâ & humidâ intemperie denotabunt. Si autem reſolutionem præter conſuetudinem difficiliorem ac pertinaciorem conſpicias: meritò conſiderare poteris, an narcoticorum, opiatorumque aliquid, ſive alimenti loco ſive medicamenti, ægro in uſum venerit, ut argenti vivi crebra contrectatio, vini fortioris uſus immoderatior, aut aliorum his ſimilium uſurpatio.

Valeſc. de Taranth. part. l. 1. c. 20.

75. Si Diætam ad craſsorum, pituitoſorum ac frigidorum humorum generationem, idoneam præceſsiſse cognoſcas, indeque ejusmodi humoribus corpus ſcatere animadvertas, de-

xtrè-

xtrè colligere habebis, nervorum anguſtiam & obſtructionem iis inductam atque h. m. ſpiritibus animalibus viam interclusſam eſſe.

76. Adhuc patebit facilius, ſi qui tumores p. n. cujuscunque ſint generis, ſeſe oſtenderint: ſi ponderis gravioris præſentia & durioris corporis occurſus aut impoſitio animadvertatur, aut vincula arctiûs conſtricta ſint injecta membris: ita ſi luxationes vertebrarum ſubitò ſactæ, & oſſa ſedibus ſuis expulſa ſint. Hæc omnia n., ut & ictus graviores ac contuſiones, aliæve violenter partem in ſe cogentes cauſæ, nervos comprimi, atq; ad deducendos ſpiritus ineptos reddi ſignificabunt.

77. Nec latere poterunt, quæcunque (etſi incerta ſint & innumera fere) inducere ſolent continuitatis ſolutionem, ſive rumpendo id præſtent ſive erodendo, atterendo, obtruncando aut vulnerando: hæc n. vel ipſi oculorum ſenſui ſunt manifeſta, vel ex ægrorum relatione petenda.

78. An autem ex colicâ traxerit ortum paralyſis, ſigna Colicæ paſsionis, & immanes dolores ventris prægreſsi patefacient. Sic ſi ex aliis morbis acutis & bilioſis dependeat: tunc n. cholericos, ſeroſos, tenues & acres humores eſſe reſiduos ſuſpicandum: eosdem oſtendet quoque temperamentum calidũ & ſiccum, color corporis citrinus, urina rubicundior, ætas, anni tempus, victus tali humori cumulando aptus, ut & juvãtia ac lædentia.

Gal. 4. de loc. aff. c. 4.

79. Scorbuticam paralyſin manifeſtabunt ſigna ſcorbuti vel præcedentis vel præſentis, ſcilicet præcipuè inſigniter impeditus incedendi motus, quo cum ſummâ difficultate & continuâ corporis titubatione pedes de loco in locum transmoventur.

Inſt. Senn. l. 2. p. 3 ſ. 2. c. 5.

80. Qui autem humores in corpore præ cæteris abundent ſemper ſimul eſt advertendum. Et de bilioſis quidem ac ſeroſis paulò ante dictum. Frigidos autem & pituitoſos facile licet cognoſcere, ſi ejusmodi alimentorum uſus præceſſerit, quæ pituitæ collectionem juvare potuerint: larga ferè adeſt in ſomnum propenſio, vitam agit æger deſidem, ſegnis & ad

motum

motum ineptus eſt, ut plurimùm redditur alba, craſſaque & turbida, pulſum habent tardum atque debilem, cum humidâ laxâ ac molli corporis conſtitutione.

81. Si demum, quod in Scorbuticis præcipuè accidit, melancholico humore corpus ſit refertum, is ex nigro ac livido decumbentis colore innoteſcit, præceſsitq; ejusmodi humori diæta conveniens, quæ quocunque modo tales ſuperfluitates potuit cumulare.

82. Cæterum, cùm plerumque tutiùs ſit atque utiliùs, imminentibus morbis, quò minus irruant, viam atque aditum præcludere, quàm eoſdem jam quaſi domeſticos factos cum difficultate ac moleſtiâ iterum exturbare, non inconveniens erit, imminentem paralyſin ſtatim cognoſcere, ex tremore, torpore, membrorum ſtupore diuturno, capitis ac dorſi doloribus, motus difficultate. His enim & ſimilibus ſignis apparentibus, tempus eſt ut irruenti morbo eamus obviam, & quantum poſſumus reſiſtamus: ni enim hoc fiat, invadit hoſtis, & deſtruitur primò motus voluntarius, ſenſu ſuperſtite: poſteà ſi ingraveſcat malum, ſenſim etiam tangendi potentia imminui ac aboleri incipit, in hoc vel illo membro, prout hic vel ille nervus afficitur.

Senn. Inſt. l. 2. p. 3. ſ. 2. c. 5.
Hieron. Mercur. pract. l. 1. c. 20.

83. Hîc inferendum etiam arbitramur, quomodo ab aliis cognatis affectibus paralyſis poſsit diſcerni. Et cum ſuperiùs diximus, torporem ſeu ſtuporem, quando ſcil. ſenſus ſolummodo, motu illæſo hebeſcit, diſpoſitionem quandam eſſe, ac quoddam initium paralyſeos, patebit, eum ab hâc differre ſolâ cauſarum debilitate & remiſsiore agendi vehementiâ. Omninò enim fortiorem lædendi vim eſſe oportet eam, quæ ſenſum ſimul & motum tollat, partemq; ad omnes actiones animales planè ineptam faciat, quàm quæ horum unicum ſaltem præſtare valet, ac quod fit in torpore, ſenſum tantùm auffert aut debilitat.

Gal. de ſympt. cauſ. l. 2.
Capiv. prax. l. 1 p. 538.
Plat. prax. T. 1. l. 2. c. 2.
Nicol. Piſo de cur. h. c. m. l. 1. c. 16.

84. Eadem cauſarum conditio, paralyſin ab Apoplexiâ diſcernit. Si enim tanta ſit cauſæ potentia, ut omnium nervorum meatus, totamve ſpinalem medullam obſtruere, &

omnimodam ſenſuum ac motuum ablationem in membris omnibus totius corporis cauſare poſſit, apoplexiam generabit: Si verò unam ſaltem partem, vel plures etiam afficere apta eſt, capite tamen ut plurimùm ſalvo, paralyſin inducet.

Hor. Aug. Epiſt. medic. T. 2. l. 3. p. 397. 85. A Convulſione etiam diſtinguitur paralyſis, non quidem cauſarum vehementiâ aut debilitate, ſed earundem diverſitate. Etenim in convulſione adeſt motus depravatio, quâ muſculus à re acri p. n. irritatus, verſus ſuum principium contrahitur, atque ita partem ſanam ſecum rapiendo, illius etiam liberum motum ſimul impedit: In paralyſi autem motus partis affectæ planè tollitur à causâ non vellicante, ſed ſenſus ac motus dominio ſpoliante. Deinde in convulſis pars ſana ad læſam trahitur; in paralyticis membrum reſolutum, & actione propriâ deſtitutum ſequitur ſanam, eique nonnunquam externam figuræ depravationem inducit, uti in oris torturâ à paralyſi ſolet fieri. Porrò convulſæ partes ſunt rigidæ, & extenſionem facilè admittunt nullam, dolentque præterea: quibus omnibus contraria evenire in paralyſi cernimus.

Senn. pract. l. 1. p. 2. c. 27.

προγνωστικά. 86. Signa προγνωστικά quod attinet, pro ratione ac conditione partium affectarum, cauſarumq; vehementiâ ac debilitate, malum nunc eſt curatu difficilius nunc facilius. Hinc ergo vehemens, perfecta & univerſalis paralyſis, in quâ ſenſus & motus ſimul abolentur, admodum eſt difficilis & periculoſa. Cùm enim tantâ ſpirituum copiâ ad ſenſus exercitium non ſit opus, quantam motus requirit: veriſimile erit, tantam eſſe cauſæ vehementiam, tantamque nervorum læſionem, ut ne tantillum quidem ſpirituum, quod ſenſui ſaltem ſufficiat, poſſint admittere, atque inde curam plenam eſſe periculi & difficultatis, eoque magis, quo plures corporis partes malo obſidentur, quoque neceſſarius tanto malo convenientium medicamentorum uſus, & diætæ ratio, ſine quâ plerumque medicinæ exiguus promanat fructus, obſervatur ab ægris negligentiùs.

87. Pa-

87. Paralyſis quæ Apoplexiam interdum comitatur imprimis periculoſa eſt, & ſanationis difficilis, tâm ratione vehementioris cauſæ, quæ tantum malum antea potuit producere, quàm ob partium intemperiem & debilitatem â præcedente affectu inductam, præcipuè cum perpetuus recidivæ metus iſtis jungatur: ſiquidem levi de causâ poteſt fieri, ut vel materiâ in priorem locum translatâ, vel aliunde majore affluxu concitato, hanc paralyſin nova Apoplexia, eaque priore deterior ſubſequatur. *Celſ. de re med. l. 3. c. 27.* *Fern. d. part. morb & ſympt. l. 5. c. 3.*

88. Minus periculi ſubeſt inchoatæ, imperfectæ ac particulari Paralyſi, ideoque etiam facilioris curationis meritò ſtatuenda.

89. Et tamen in particulari quidem, majore conjuncta res eſt cum periculo, curaque procedit difficiliùs, ſi ſenſus & motus ſimul ſint aboliti, quâm ſi horum ſaltem alterum. Ita periculoſiùs eſt, ſi plures nervi afficiantur, vel & præcipuè ſi ipſa ſpinalis medulla ſit læſa. Et quo locus affectus cerebro, tanquam parti principaliſſimæ, omnis motionis ac ſenſus fonti eſt propinquior, eò formido debet eſſe gravior. *Liddel. art. med. l. 3. c. 8.*

90. Senes, quorum calor innatus, omnesq; corporis ſpiritus & virium robur quotidie magis atque magis imminuitur, adeoque quotidie imbecilliores redduntur, ſi opprimantur paralyſi, rarò & cum magnâ, difficultate iterum eluctantur, præcipuè ſi hyberno tempore curatio ſit inſtituenda. Frigida n. ejusmodi corporis mala, & affectiones quæ ex crudis & craſſis humoribus traxerunt originem, vere longè curantur faciliùs, imprimis ſi recens ſit malum, & rectam ſex rerum non naturalium uſurpationem æger non reſpuat. *Gal. in aph. Hipp. l. 3. aph 2.* *Hipp. de Epidem. l. 3.*

91. Idem judicium ferè in juvenibus etiam locum habet, quando ex frigidis & humidis ſuperfluitatibus obnoxii ſunt facti paralyſi. Magno enim morbo tum laborare dicendi ſunt, ſiquidem tali affectu oppreſſi jacent, qui ipſorum naturæ & complexioni per omnia eſt diſſimilis, ideoque & graviore cum periculo & metu curabilis. *Valeſc. de Tarant. prax. l. 1. c. 20.*

92. Quæ paralyſis à cauſis violentis inducta eſt, ut puta, caſu aut percuſſione vehementiori ac nervorum contuſione, *Capivac. l. 1. prax. c. 24.*

item ex validâ luxatione vertebrarum cervicis aut dorſi, omninò, quò graviores ſunt cauſæ, eò periculoſiorem inducunt affectum, imò potius plerunque planè incurabilem.

Hipp. 6. aph. 19. 93. Si rumpantur aut diſſecentur nervi, præcipuè grandiores, & ſpinalis medulla, inciſionibus transverſim factis, dependens hinc paralyſis, curationem nunquam admittit ullam.

94. Paralyſis crurum & pedum, facilioris eſt curationis eâ, quâ brachia afficiuntur, quorum nervi humidioris & debilioris ſunt naturæ, adeoque ab hoc malo faciliùs invaduntur & pertinaciùs obſidentur.

Scholz. aph. med. ſ. 2. aph. 45. 95. Difficulter ſanantur membra Paralytica, quæ ob mali protractionem ἀτροφίᾳ & macie jam contabuerunt: quis enim præter ſpiritus animales, calidum illud innatum, quo omnia membra perfundi neceſſe eſt, deperditum, facilè reſtituet?

96. Hinc etiam quodcunque membrum paralyſin paſſum, ſi actualem adhuc præ ſe ferat caliditatem, non deſpondere animum jubet omnem: faciliùs enim in ejusmodi partibus ſentiendi ac movendi vigor, adhibitis medicamentis utilibus, reponitur.

97. Colicis ac Scorbuticis affectibus ſupervenientes motuum impotentiæ, quia dependent ex tenuioribus & calidioribus humoribus, felicioris ac facilioris creduntur eſſe curationis: modo attendatur, ne nimis calefacientibus ſiniſtrè adhibitis, humore per ſe multùm nocente, acriore reddito, in lethales convulſiones transmutentur.

Valeſc. de Tarant prax. l. 1. c. 10. 98. Tremor paralyſi ſuperveniens, bonum ſperare exitum jubet: aliqualem enim meatuum penitus priùs occluſorum reſervationem indicat, quâ portioni ſpirituum, licet exiguæ, optatus de novo aperitur tranſitus. Curationi ergò, ulteriùs legitimo modo protractæ, plenariam brevi ſanitatis pollicetur reſtitutionem.

Gal. 2. prorb. 30. 99. Febris nervorum reſolutioni ſuperveniens, ſæpe curationem multùm juvat, ſi ſcil. à frigidis & pituitoſis ſuccis nata ſit paralyſis. Calor enim febrilis, etſi non totus ſit natu-

ralis

ralis (modò non ſit nimius) tamen ad rei præternaturalis demolitionem, nativi caloris interventu, poteſt concurrere: cujus beneficio, pituitoſi iſti ac craſſi humores diſſipati & abſumpti, ſpiritibus influentibus liberum relinquunt tranſitum, unde membris paralyticis priſtinus vigor & exercitium reſtituitur. *Gal. in aph. Hipp. l 6. aph. 40.*

100. Supereſt, ut paralyſin, ex omnibus ejus circumſtantiis rectè cognitam, per indicationes utiles, convenientibus remediis inventis, & ſingulis cauſis oppoſitis, è corpore pellamus. *Indication:*

101. Inter remotas ergo cauſas, primum locum habet intemperies Frigida & Humida, quæ ſibi oppoſitas calefactionem & exiccationem indicat. Occulto modo & vi narcoticâ agentes cauſæ, occultè modo agens remedium requirunt, & quod peculiari quàdam ratione & συμπαθείᾳ nervis conveniat. Ex morbis organicis & conformationis vitio, poſtulat anguſtia apertionem, cuicunque anguſtiæ ſpeciei proprio auxilio oppoſito. Unitas ſoluta tandem, ſolutionis conjunctionem & redintegrationem requirit.

102. In his ergo methodicè præſtandis, omne Indicationum genus diligenter conſiderare oportet. Et quidem vitalem Indicationem quod concernit, ſuggeritur ea ex hoc, quod cerebrum, totumque nervoſum genus à cauſis p.n. moleſtatum, quantum poſſibile, ab ulteriore lapſu ſit conſervandum, & per appropriata tàm medicamenta quàm alimenta roborandum.

103. Indicationes præſervatoriæ; ab antecedentibus cauſis petendæ ſunt: quæ in corpore vel præſentes, vel alio modo advenientes, affectum p. n. non quidem excitant adhuc, levi tamẽ occaſione motæ, ad nervos detrudi, & proximæ cauſæ rationem ſubire, aliove modo nervis nocere aptæ ſunt: quâ de causâ meritò earum correctio aut remotio inſtituenda.

104. Ultimum indicationum genus curatorias continet, quas ſuppeditari notum eſt à cauſis proximis & immediatis, quarum poſitione & præſentiâ morbus ponitur, & quarũ remotione is, removetur. Ex harum numero ſunt humores ipſis ner-

viſ incumbentes, & immediatè eorum anguſtiam excitantes: it: tumores p. n omnes, & vincula arctius conſtricta nervos conprimentia; iſtis n. ſublatis, in momento q. malum ceſſare & evaneſcere cogitur.

Cura. 105. Ad ipſam autem curationem jam acceſſuri, cogitemus ante omnia, paralyſin eſſe affectum difficilem, & qui præſtantiſſima ſæpius medicamenta poſſit eludere: ideoque non intra paucas horas, ſed nonnunquam vix ſatis longo temporis ſpatio penitus eliminari: quapropter patientes ſatis conſtantes & medici dictis obedientes hîc eſſe oporteat.

106. Pro diverſitate autem cauſarum, varianda quoque erit curatio. Quia ergo à frigidis & craſsis humoribus paralyſis inducitur frequentius ejus curationem primo loco ſuſcipiemus, reliquas poſtea ordine viſuri ſpecies. In omni autem paralyſi, quæ ab interno dependet apparatu, generalis eſt indicatio, ut quicquid reperiatur noxiorum humorum, id omne confeſtim è nervis & toto corpore amoliatur.

107. Propterea in pituitosâ paralyſi ſtatim primæ viæ à vitiosâ ſaburrâ ſunt expurgandæ; ita n. tutius poſtea calidiorum medicamentorum, quæ requiri diximus, uſum licet admittere. Fieri autem hoc poteſt, vel alvum leniente remedio per os exhibito, vel injectis clyſteribus, prout uſus poſtulat, primò lenioribus & mollioribus, deinde acrioribus. Tales parari ſolent ex *Chamæm: melil: mercuriali, betâ, beton. byſſ: ſampſuch, rutâ, fl. ſtœch: ſalv: orig: Cent: min: Sem. rutæ, fænic.* aliisve cephalicis, in ſ.q.aq.decoctis. In Decoct. diſſolvere licet. *Hierarum, diaphœn*: aut aliorum purgantium ſ. q. miſcendo ſimul *ol. rut: chamæm. lil. alb. caſtor*, quantum libet & opus eſt.

Gal. in aph. Hipp. l. 5. aph. 66.

108. Venæ ſectio vix hic ſibi locum invenit, cùm non ſanguis peccet præcipuè, ſed craſsi ac pituitoſi humores foveant malum, & cùm plerumque, etiam quidem perſe, invadat corpora ſenilia ac naturæ frigidæ, eatenus adhuc minus ſanguinis detractio ſuſtinebitur. Si tamen phlegmatici ſanguinis copia quædam appareat, quæ calidi nativi oppreſſionem & extinctionem moliri valeat, venam ſecabimus in brachio ſani lateris

Æti. tetrab. 2. ſer. 2. c. 28.

ris, prohibentes tamen ſedulò, ne nimiâ ſanguinis copiâ emiſſâ in majorem imbecillitatẽ ægrum præcipitemus: ſed ut hoc modo, ventilatione aliquâ conceſsâ, calor nativus frigidis ſuccis eò melius dominari incipiat, eorumque concoctionem ac evacuationem juvare poſſit. *Capivacc. prax. l.1. c.24.*

109. Inter ea quæ ore exhibentur, mitia ſaltem purgantia hîc conveniunt ab initio, ut eſt *Agar. trochiſc, ſpec. hieræ, terebinth: M.P. aloeph. Aſſaj.* *Maſtix* autem propter nimiam humectationem in hâc paralyſis ſpecie minus eſt idonea. *Plater. prax. T.1. l.2. c.2.*

110. Si pituitâ & crudis humoribus ventriculus ſit refertus, ægerque aliâs vomitionibus ſit adſuetus, cum magnâ utilitate vomitus poterit provocari, *Rad. aut Sem. raphani, Atripl. Aſari* vel aliis conveniẽtibus, in hydrom: coctis, & addito *Oxym: ſimp:* vel exhibito alio ex emeticorum chymicorum claſſe petito, quale eſt *Gilla Theophr:* ſeu liquor ille, ex Cryſtallis ⊖li ♀ris aut ♂tis, & phlegmate acido ⊖li vulgaris paratus: ⊖. *alb. vomitivum Sal ⊖li Gum: gottæ, Croc. Metall.* ▽ *Bened. Rulandi. Flor. & vitrum* ☿ *ij:* de quorum uſu conveniente & doſi legitimâ alibi præcipitur. *Croll. Baſil. Chym p.182.*

111. Primis viis hoc modo evacuatis, ad præparationem humorum eſt deveniendum. Quod ſi tamen ſtatim in principio morbi ad ægrum vocetur medicus, ſuperſedere poterit hâc operâ. Cùm n. humor tum nervis ſeſe penitus nondum inſinuaverit, ſed adhuc ſaltem mobilis ſpirituum canalibus obiter obverſetur, & ſi non aditu prohibeatur graviorem tentet illapſum, quamprimum illum, etiam fortioribus purgantibus licet aggredi, iiſq; repetitis crebriùs: hæc n. vires tunc facile tolerabunt, utpote nondum planè à cauſis morbificis dejectæ. Et hâc ratione ſæpiùs factum, ut magnâ vitioſorum humorum copiâ, in principio morbi rejectâ, poſtea malum diutius repugnare & legitimis medicamentis reluctari amplius non potuerit. *Senn prax. l.1 p.2. c.27.* *capiv. prax. l.1. c.24.*

112. At medico ſeriùs vocato, & materiâ jam nervis multum impactâ, præparatione omninò ante evacuationem opus eſt. Hæc autem, cùm humor ſit frigidus, humidus, craſsus, viſcidus, & occultâ interdum vi non carens, fieri debet medica- *Gal. l in aph. Hipp. l.5. aph. 66.*

mentis

mentis calidis, ſiccis, attenuantibus, incidentibus, & iis præcipuè quæ peculiari naturâ cerebro & nervis ſunt addicta.

113. Ejusmodi medicamenta ê vegetabilibus petuntur varia: Ex radicibus n. hîc proſunt 5. *Aperientes dictæ Rad. apii, petroſ: Bruſc aſpar: Fænic. It: rad: Caryophyllat. belen. angel. valerian. ariſtol. long. pœoniæ lunâ decreſcente collectæ*, quæ inſignis ſunt efficaciæ ad Epilepſiam ac pavores in ſcmpis, *dictam. alb. Cyperi, ireos, acori, zedoariæ.* Ex Herbis: *roſm: ſalv. majoran. Euphrag. prim: veris*, quæ & propter inſignem in hoc malo curãdo facultatem, *herba paralyſis* vocatur: *Hyſſop. rutæ, meliſſ puleg. lavend. calamint. chamæpith. ſeu iva arthetica, betón.* quæ tantopere ad paralyſin commendatur, ut trita ac impoſita, nervos etiam præciſos glutinare ac perſanare credatur: *Origanum Cent. min.* quod peculiari ratione nervis auxiliari dicitur, *verben. caryophyllat. Stœb. utraq;, ſol. lauri.* Ex Floribus *fl. anth: lavend. lil. convall. ſalv. ſtæchad. Arab.* quæ omnes cerebri partes, ſive in potu ſive in fomẽtis adhibeatur, mirè roborare ſcribitur, ac inde cerebri ac nervorumq; vita æſtimatur: *prim: veris, pœon: tiliæ, beton. tunicis, ſclarea, majoran. Cent. min.* Ex Seminibus *Sem: fænic. aniſ: pœon: carvi: ſil: mont. Cymin: angel. rutæ, coriand. præp. majoran. paſtin: ſylv.* E fructibus proſunt *Bac: lauri, junip: anacard. grana cherm: pini.* Ex lignis, *Xyloal: viſc: quern.* quod Epilepſiæ, convulſionibus ac tremori valde conducit, *corylin: juniperi, fraxini, Xylobalſ: guajac: Cort: aurant.* Ex aromat: *cubeb: cardam: macis, nux moſch. caryophyll. Cinnam, Carpobalſ. Calam. aromat: zingib. piper, Grana parad.*

Apul. Madau l. de beton.
Schœnborn manual. med pract.
Mel. de ægrit. nerv & paralyſ.

114. Ex enarratis hactenus ſimplicibus, additis ſc. & aliis neceſſariis, variæ poſſunt concinnari medicamentorum tàm ſimplicium quàm compoſitorum formulæ: Decoctorum, Aquarum deſtill. & ſpirituum, ſyruporum &c.

115. Inter aquas & Spiritus deſtill. proſtant ex ſimplicibus: *Lavendulæ, ſalv. beton. prim. veris, rorſm: majoran. hyſſ. fænic. fl. pœon. meliſſ. lil. convall. tiliæ, tunicæ, verben:* Aquarum compoſitarum inveniuntur plurimæ, apoplecticæ & paralyticæ, variorum autorum.

116. Ex

116. Ex iiſdem ſimplicibus parari ſolent varia quoque melicrata & vina Medicata, ut *Meliſſatum, ſalviatum, roriſmarini, beton, ſtœch: Arab.* Etſi n. vinum imprimis potens, non ſit utile paralyticis, tamen loco vehiculi, ad meliorem medicamentorum ad nervos deductionem, nihil obſtat, quo minus adhibeatur, præſertim ſi in adſuetis id fiat.

117. Ex conſervis & ſaccharis dantur *Conſ. Salv: major: beton. anth. ivæ arthet. lil. conv. lavend. meliſſ. pœon. ſtœch. prim. veris, fl. tiliæ, rut. chamæp. euphrag.* Inter Electuaria eſt *Cephal. Langii, Diacori, diacaſtor. Conf. alcher.* Accedunt Condita, *nuc. moſch: indicæ, galangæ, zzris, calam. aromat: cort: citri, aurant. rad. enulæ, acori.*

118. Ex ſyrupis eſt *de ſtœch. ſimpl. & comp.* qui Epilepſiæ, paralyſi, ſpaſmo, tremori & omnibus cerebri ac nervorum frigidis affectibus ſunt utiles, *ex ſucc. beton. rut. poeon. meliſſ prim: veris, de 2 & 5 rad. acori veri, de iva arthet. mel anthoſ. hydrom ſimpl. & comp.* Oxymelitum autem parcior ſit uſus, quia propter acetum nervis nocere apta ſunt.

119. Confectiones ſolidæ, *Cubeb: caryoph. Sem. aniſ fœnic: coriand. præp cymini, Carvi, cardam. cinnam. macis.* Ex ſpeciebus proſunt *Aromat. roſat. caryophyllat. diagalangæ. dia cinnam. diambr. diamoſch. dulc. diapæon. dianth. diaxyloal.*

120. Ex enumeratis ſpeciebus, conditis, conſervis &c: parari poſſunt rotulæ ac morſuli, quibus & olea ſtillat. & extracta admiſcere licet, ut *Ol. ſalv. ſuccin. lavend. junip. anth. caryophyll. macis, nucis moſch. cinnam. cort. citri, aurant. majoran fœnic. aniſi, rutæ, carvi, Ext. rad. pæon. Xyloal. rad. angel. ſalv. cubeb.* *Tyroc. Chym. Beguin. l. 2. c. 6.*

121. His & ſimilibus humore præparato, ad illius evacuationem eſt deſcendendum. Et quidem non hîc ſaltem, ſed & toto curationis tempore ſedulò curandum, ut alvus ſit aperta nec ulla vitioſis humoribus, de novo cumulandis detur occaſio. Quapropter apprime & utile erit & neceſſarium, ſi præparantibus interdum leniter purgantia interponantur, quorum operâ natura ſtimulata vitioſam colluviem ad inteſtina deponere adſueſiat. Ex horum cenſu ergo ſunt *agar: troch* *Æti. tetrab. 2 ſer. 2. c. 28.*

E *mechoac*

mechoac.gialap fol.ſenæ. turb: alb. & gumm. Terebinth. Ven: It.pil. aloeph. maſtich. aſſaj. imperial. &c.

122. Quod autem in omnibus morbis aliis, idem & in hoc eſt obſervandum, non vehementioribus ſtatim ab initio uti licere medicamentis, ſed mitioribus naturam eſſe tentandam. Quod ſi autem hîc nihil effici leniori vi videamus, vehementioribus omninô cùm præparantibus tùm purgantibus materia illa contumax & rebellis oppugnanda erit.

Æt. tetrab.2. ſ.2.c.28.

123. In fortiorum igitur præparantium claſſe ſunt: *Conf. anacard. mell. anac. Aur. Alexand. mithrid. Theriaca antiq:* quæ opiata quidem, præſertim ſi ſint recentia, non ita tutò adhibentur, niſi aliorum admiſtione nervis reddantur magis accommoda.

Vict. Trincav. conſ.l.1. conſ.30.

124. Clyſteribus ex Cephalicarum herbarum decoctis paratis addi poſſunt *rad. bryon: pulp. colocynth. hieræ picræ Logad. Pachii Bened. laxat Eleſcoph. Ol. rut. Coſt. Sal gemmæ &c.*

125. Per os vero exhiberi poteſt *Elect. diacarth. Pil. de agar. coch. fætid. d. opop: d. ſagap. d. Hermod.* Præ cæteris autem maximè laudantur *Pil. de Ivâ arthreticâ.* Quibus pilularum uſus minus gratus eſt, iis potiones & Syrupi convenientes poſſunt concinnari.

126. Exhibitis hâc ratione alternatim, modo præparantibus modo evacuantibus, naturæ per aliquot dies quies concedenda & ſpacium ab uſu medicamentorum liberum. Interea tamen conveniente diætâ ægri vires refocillandæ, ut brevi ſubſecuturam remediorum operationem eô melius tolerare aptus ſit. Hinc ergò rurſus eodem obſervato proceſſu ac ordine medicamentis morbus eſt aggrediendus & quidem fortioribus: ubi tamen iterum notandum, etiam inter hæc, mitiora fortioribus eſſe præmittenda: Hunc enim ſapientiæ eſſe gradum Meſue reliquit, ne ad fortes medicinas deveniatur, niſi ubi debiles non contulerint. Interim vero memori volvendum animo, toto morbi tempore, ne ullo modo humorum ad caput & nervos affluxui, ulla permittatur occaſio: ideòque inſtandum eſt revulſionibus ac materiæ diſcuſſionibus, per cucurbitulas, tàm ſcarificatas quàm non ſcarifica-

De ægrit. nerv. & paral.

tas,

tas, prout neceſsitas juſſerit; per clyſteres, extremorum frictiones & alios modos; idq; potiſsimum iis diebus faciendum, quibus aliis medicamentis naturam non oneramus.

127. Præmiſsis h.m. univerſalibus, methodi ratio requirit, ut & ipſum cerebrum, ſi mali principium & fomes in eo hæreat, nervorumque ductus, â ſuperfluis humoribus liberentur. Idque fieri oportebit per Errhina, ſternutatoria, apophlegmatiſmos, maſticatoria, inunctiones palati, gargariſmos & oris collutiones, in quorum formulis concinnandis, ſemper hoc obſervandum, ut talia medicamenta eligantur vel reliquis ad miſceantur, quæ peculiari vi cerebro & nervis ſunt dicata: Sic in errhinis præter *ſuc. anagallidis, betæ majoris, r ad. pyrethri, ellab. alb.* ſumi poſſunt *ſucci, decocta vel aq. herbarum rutæ, majoran. nigell. beton. ſalv.* In Sternutatoriis adhiberi poteſt *pulv. flor. & rad. lil. convall. majoran. nicot: it pulv. ptarmicæ; maceris, moſch: ambr:* Apophlegmatiſmi parantur ex *decoct. rad. capp. valer. angel. pyreth. rad. ir. rec fol. hyß. ſalv. majoran. orig: Sem. ſinap: naſture: ſtaphid. agr. Bacc. lauri. cardam. cubeb.* Maſticatoria *ex paſſulis cum pipere Sem. ſinap. cubeb. rad. pyreth. maſtich. nuc. moſchat.* Palatum inungatur theriacâ in oxymelite ſcyllitico diſſolutâ. Gargariſmi fiant ex *decoct. ſalv. calaminth. galang. zzre: cum ſinapi & hydromelite ſcyllitico.*

Hor. Augn. p. 557.

Joh. Crato Conſil. med. l. 4. conſ. 2.

128. Toto corpore ſæpius ejusmodi præparationibus ac evacuationibus per intervalla repetitis mundato, & nihilominus morbo contumaciter perdurante, ſudores demum ſunt provocandi, corpusque reddendum perſpirabile, exhibitis *decocto ligni ſaſſafras. guajaci, ſarſaparil. rad Chinæ*, uno horum ſeorſim, vel diverſis miſtis, quibus ex *decoct. hyſſopi, juniperi, roriſm. ſalv. chamæpit.* ſi libet aliquid addendum. Datâ potione, ſudor mane in lecto eſt continuandus, per horam unam atque alteram, prout virtutis tolerantia hoc conceſſerit: idque continuis aliquot ſeptimanis faciendum.

129. Chymicis hîc commendantur *Bezoardicum minerale ſimpl. gran. 4 vel plurium pondere in vino, ▽ â chamæpithyos, cardui bened. cinnam. exhibitum: Bezoardicum minerale Solare, ♉ diaphoret. Rob ebuli in ▽ â chamæpith. vel ſalv. diſſolutum. ⊖ abſint. ſalv.*

Joh. Schrœderus pharmacop. Medico Chym. l. 3. c. 25.

carduibened fraxini. Extract. Zzris zedoar: carduibened. Theriaca, Mithridatium. Magni uſus etiam eſt Spir. ♀ri, ut qui penetratione ſuâ, totum corpus ſubitò pervadit, omnesque vitioſorum humorum reliquias diſsipando, ſingulas partes egregiè roborat & confirmat. Idem facit Miſtura ſimplex dicta, in convenienente vehiculo exhibita: It: Spir. Theriacalis camphoratus in ▽æ carduib. q. ſ. propinatus. In horum autem aut ſimilium uſu notandum, ut non niſi ventriculo vacuo exhibeantur, quod quidem convenientiſsimè tempore matutino fieri poteſt, vel etiam ſi neceſsitas poſtulet, pomeridiano, ſudore ſemper vel in lecto per horam unam atq; alteram, vel etiam in balneo ſicco continuato. Hoc remedii genere, ubi pro circumſtantiarum poſtulatu per aliquot ſeptimanas, dextrè uſus fuerit æger, nullum eſt dubium, quin egregium inde reportaturus ſit commodum.

Croll. Baſil. Chym. p. m. 218.

130. Interea vero & imprimis iſtis omnibus maximam in partem præmiſsis, omninò ratio eſt habenda roborantium, quæ frigidos humores in nervis diſcutiant, eosque calefaciendo & ſiccando, quô apti iterum ſpiritibus animalibus vehendis canales fiant, roborent. Horum mentionem fecimus ſupra, ubi humores craſsos præparantia recenſuimus, quæ pleraque etiam hîc rectè in uſum veniunt: quibus tamen addimus, magnæ virtutis eſſe *Magiſt: vel ⊖ margarit: orientalium, bis* in ſeptimanâ ex vino malvatico vel ▽ â ivæ artheticæ exhibitum. Præſtans etiam eſt remedium *Elixir propriet. Paracelſi in ▽ â primul. veris vel chamædryos.*

Baſil. Chym. Croll. p. 220.

131. Sed dum circa intetnorum adminiſtrationem ſumus occupati, nec topicorum obliviſcemur, quæ humores rarefaciendo, diſcutiendo, exiccando, nervosque ac cerebrum roborando cum internis conſpirare oportet, quò eo citius ac melius, ad optatum finem perducamur.

Hugo Senẽ. d. ægrit. nerv. conſil. 17.

132. Singulis ergo diebus frictiones adhibere erit utile, jejuno exiſtente ægro & ventriculo vacuo, ante prandium vel cœnam ne ventriculi coctione læsâ humorum crudorum collectioni detur occaſio. Manibus autem poteſt inſtitui aut panno aſpero & calente, idque leniter, nec nimis longo tempore, ne id

ne id quod caloris& ſpirituum attractum eſt diſsipetur iterum: modus autem ſit talis, ut initium ducatur à ſcapulis, & per dorſum, brachia, ventrem, nates & coxas facto progreſſu, ad crura & pedes deſcendatur. Commodum ſentietur evidentius, ſi in frictione oleum aliquod, vel aqua ſtillatitia adhibeatur, ex iis quas vel ſupra jam ante adduximus, vel proponemus poſtea inferius.

133. Nec inefficaces erunt cucurbitulæ anguſtæ, ſine ſcariſicatione cum multâ flammâ principio nervorum impoſitæ, & ſic paulatim factâ impulſione, ad ipſum membrum reſolutum translatæ: hoc. n. modo calor nativus in parte languens, novi caloris ac ſpiritus communicatione refocillabitur ſopitaque facultas priſtino robori ac vigori reſtituetur. Ad prohibendam a. illius quod attractum eſt ſubitam diſsipationem, non inconveniens videtur emplaſtrum aliquod ex pice & reſinâ pini ſuperimponere. *Scholz. aph. med. ſect. 3. aph. 144.*

134. Membro paralytico ac ſtupido, dropaces, ſinapiſmi & phænigmi poſſunt applicari, ut materia profundiùs demerſa ad ſuperficiem corporis evocetur; diutiùs tn. impoſita ſervare non decet, niſi quouſque ruborem contraxerit locus, & pars impoſito digito rubicunda permaneat, tunc enim amoto ſinapiſmo, oleum coſtinum aut laurinum inungendum. Pro eodem uſu, ſicubi libuerit, ſtupidam ac reſolutam partem urticis viridibus leviter percutere licebit. *Cornel cell. de re med. l. 3. c. 27.*

135. Setacea nuchæ applicari curabis, inter & ſecuudam vertebram, ſi cauſa mali cerebro ſit vicina. Sin vero alio loco cauſa morbi deliteſcat, alius pro cauterio locus, pro ratione partis affectæ eligendus eſt.

136. Poſt Sinapiſmos ac dropaces locus eſt emplaſtris roborantibus. Hæc cum pice & reſinâ ex ejuſmodi conſtare debent medicamentis, quibus partem cui applicantur fovere & contractam intemperiem eliminare apta ſunt. Spectat huc *Empl. de beton:, nervinum, de bac: lauri, ex gum. tacamahacâ.* Hæc enim alutæ inducta & ſpinæ dorſi impoſita operantur efficaciter. *Ætii. tetr ab. 2. ſ. 3. c. 28.*

137. Nec contemnenda ſunt ſuffumigia ex nervos roborantibus & cephalicis parata, ut puta, *ex thure; ladan: ſuccin: myrrhâ: caryoph: rorem*: Ex quibus etiam parari ſolent ſacculi, capiti & aliis partibus laborantibus applicandi. Poſſunt autem pro componendis medicamentis topicis aſſumi omnia ſimplicia ſuperiùs pro uſu interno recenſita: quibus tamen adduntur *gummi juniperi, hed: olib: maſtich: tacamah: benz: ladanum, ſtyrax calamita, euphorb: ambra, caſtor: gummi caranna, myrrha &c.*

138. Sæpiſſimè & cum maximo emolumento inunctiones adhibentur, ex oleis & unguentis, ex reſolventibus, attenuantibus & diſcutientibus, atque omninò nervoſum genus peculiari qualitate reſpicientibus, compoſitis, quibus tamen emollientia quædam ut *ping. humanam, anſerin: anat: de cicon: vulpin:* interdum admiſcere opus eſt, ne fortaſſe materiæ quippiam pertinaciùs nervis adhærens, nimio ſiccantium uſu induretur, & malum reddatur incurabile.

139. Materiam Unguentis & linimentis, præter ſuperiùs enumerata, præbent olea varia; *rutac: nard: coſt: irin: ſamb: d. caſtor. d. euphorb. d. later. laurin: chamæm. lil. alb. lũbr. terreſt. hyper. cheir: vulp.* Huc refer & *Balſam. ſalviæ, majoran. ſpic. rut: angel: ſuccini.*

140. Ex his varias inunctiones licet componere. In quarum uſu notandum, ejuſmodi medicamenta manibus, aliquo ſpir: Cephalico aut aq. apoplecticâ prius madefactis, calidè eſſe affricanda, cerebro, nuchæ, totique dorſali ſpinæ, aliiſque membris paralyticis, eouſque quidem, donec rubedinem contrahant. Ex uſualibus ſunt *Ung. Agrip. Marciat. Nicol. marciat. magnum & parv. areg. de bdel.* Unguentum anſerinum & de Sapone Cratonis Dn. Sennertus exhibet, pract. l. 1. c. 27. Quidam Conf. anacard: & Aur: Alexandrinam in ▽â vitæ ſalviatâ vel aliâ paralyticâ aut apoplecticâ diſſolvunt, & præſtans faciunt remedium, pro ſpinâ dorſi inungendâ. Aquæ etiam per ſe, tam ſimplices quàm compoſitæ, magnam vitioſam materiam diſcutiendi, parteſque reſolutas & nervos roborandi vim obtinent, ſi partibus affectis affricentur.

Joh. de Renthâ in faſcic. medic.

141. Iſtis

141. Iſtis adhibitis omnibus,& nihilominus malo non ce- *Alex. Trall.*
dēte,ad Thermas ablegādos eſſe paralyticos ſtatuunt Medici, *l.1.c.16.*
earumque uſum, cum debito regimine eousque continuandum, donec nativo recuperato colore, ac calore membris reſtituto, partes reſolutæ ſanitati reddantur: eligendas autem eſſe 🜍reas, bituminoſas, nitroſas, & quibus aluminoſarum partium minus ad miſtum ſit, cujus generis Teplicenſes habentur & Carolinæ in Bohemiâ.

142. Sed cum omnium ſtatus & conditio non ferat, ut
naturales Thermas adeant, in earum defectu artificialibus u- *Magnin.de*
ti licebit: ſi in aquâ dulci iteratis vicibus ferrum vel cha- *regim.ſan.*
lybs ignitus extinguatur, eique admiſceatur Sal, 🜍, 🜈 vini *c.4.part.2.*
⦶. Et ut nervis magis fiat accommodum balneum, incoquantur ſimul *fol. beton: ſalv: roriſm:* & aliæ nervoſum genus reſpicientes herbæ.

143. In eundem uſum adhibentur etiam evaporationes ex decoctis plantarum ſæpius laudatarum; nec non ſi ſcoreæ ferreæ, aut ſilicibus candentibus vinum calidum inſtilletur,
& vapores calidi partibus affectis excipiantur. Vinaceorum *Donat. ab*
quoque, tempore autumnali ex uvis maturis expreſſorum u- *Alto Mari*
ſus, multum adjumenti dicitur afferre, ſi effervescentibus *Tract.de*
iis, membrum reſolutum, horâ unâ, vel longiore ſpatio ma- *vinac.facult.*
ne immergatur, poſteaque commodo aliquo linimento inungatur, idq; fiat per dies aliquot continuos.

144. Cæterum, impoſſibile eſt, morborum curationes feliciter poſſe terminari, niſi & rerum ſex non naturalium uſus legitimus accedat, & diætæ ratio accurata obſervetur. *Aer* igitur in quo detinetur æger ad calidum & ſiccum vergat, & omnis impuritatis ſit expers: ſi itaque quocunque modo â
debito deflectat, uſitatis legibus corrigatur. Quâ de causâ *Nic. Florent.*
nōnulli columbas & turtures ſylveſtres in ægri curbiculo nu- *ſer.3. Tract.3.*
triendos & alendos ſuadent, quorum halitus occultâ proprie- *c.1.*
tate paralyticis prodeſſe credatur.

145. Victus ratio cum aëris qualitatibus conſentiat, atteuans ſit ac incidens, & in principio quidem parcius exhi-

beatur

Paul. Ægin. de remedic. l.3.c.18.

bratur cibus, quo tempore etiam multum adjumenti adferet, ſi famem ac ſitim interdum tolerare æger non recuſet. Vitioſos enim humores h. m. diſcutere ſolet natura, & nullo tempore otioſa partem morbificæ materiæ abſumere. Condiendi ſunt cibi aromatibus & herbis cephalicis, *cinnamomo, macere, ſalv: rorem:* Carnes conveniunt pullorum gallinarum, caponum, avicularum, turturum, hirundinum, columbarum ſilveſtrium, & ſint aſſæ potius quam elixæ. Abſtinendum à carne ſuillâ; hæc enim nimiâ humiditate ſuâ paralyticis noxia eſt. Piſces non conveniunt, niſi ſaxatiles & aromatibus conditi. Nocent ſorbitiones multæ, lac & omnia lacticinia, nec non omnis fructuum horariorum uſus ac acetum. Imprimis autem ab omni repletione ſibi cavere debet æger, cum nihil magis hâc paralyticis ſit noxium.

Plin. Sec. de remed l.1. c.42.
Gal in lib. Hipp. de victus rat. in morb. acut. com.3.

146. Potu æger parco ſit contentus, eoque hydromelite aliquo cum plantis cephalicis & aromatibus convenientibus parato. Cerevifia ſit medicata, ſalviâ aut hyſſopo condita. Conveniunt etiam decocta ſecunda *lig: guaja: ſaſſaf: ſarſæpar: vel chinæ radicis* aromatibus & herbis cephalicis condita. Vinum verò præſertim meracius, cum nervos feriat, cautè admittendum.

Meſu. de agr. nerv. & paral.

147. Alvus ſemper aperta ſervetur, & niſi officium faciat, enematibus & glandibus eſt ſolicianda. Somnus non excedat horas 6 vel 7, noctu quidem inſtituendus, diurno quantum poſſibile evitato penitus. Motus corporis ſit moderatus, & exercitii loco frictiones interdum inſtituantur; quies autem nimia nocet. Venus nimia ut toti nervoſo generi, cerebroq; præ omnibus noxia, omittenda, poſthabitis inſimul gravioribus animi pathematis. Et tantum ſufficiat dixiſſe de primæ & præcipuæ paralyſis ſpeciei curatione. Supereſt ut & reliquarum illarum quæ Colicam & Scorbutum comitantur curationes ſubjungamus.

Alex. Trallian. l.1.c.6.

148. Ex Colica dependens paralyſis, (ut & quæ intermittentes febres, ac alios nonnunquam morbos ſequitur) cum non parum à vulgari illâ differat, peculiarem etiam meritò curandi modum requirit. In hâc enim, cum principalis cauſa

Fernel. de part. morb. & ſympt. l.5. c.3.

cauſa in infimo ventre ſtabuletur, quæ tamen poſtea vitioſo naturæ motu ad muſculos nervorumq; ductus tranſponitur: ideo ad duo potiſſimum in curâ medico eſt reſpiciendum, ſc: ad principalem mali fontem & inteſtina, ceu partem tranſmittentem: deinde ad nervorum ductus in muſculos artuum porrectos, ut partem recipientem.

149. Et quod prius attinet, p. n. inteſtinorum conſtitutio & intemperies eſt alteranda, vitioſique in iis contenti humores expellendi: Alterius ratione, ſublatâ ipſius mali ſcaturigine, id quod nervis jam incumbit, cauſæque continentis rationem induit, diſcuſſoriis & aliis auxiliis iterum amovendum, affectæque ſedes propriæ temperiei ſunt reſtituendæ.

150. Ratione ergo materiæ habitâ, quæ tenuis bilioſa ac ſeroſa eſt, occultæ malignitatis non rarò particeps, pertinaces alvi obſtructiones intenſosque dolores cauſans, lenioribus omninò ab initio ea clyſteribus tentanda, alviq; obſtructiones, & dolorum, ſi qui adhuc infeſtant inſultus ſolvendi ſunt, paratis ex *decocto malv. pariet. acanth. violar. mercurial. ſem. 4. frigid. major. &c:* Pro decoctione adhiberi etiam poteſt *aq. hordei cui violæ aut roſæ* incoxerint: it: *lac caprinum*. Addi poteſt *Caſſia pro Clyſteribus, Ol. violac. roſac. chamæmel. crem. ptiſanæ, vitelli ovorum. adeps anſerin. & gallin.* Si ſegnior ſit alvus ſtimuli loco addi poteſt aliquid *hieræ ſimpl mell. violac. vel roſac. vel ſacch. rubri.* Et quidem ſæpiùs reiterandæ ſunt ejusmodi injectiones, cum uno atque altero ſaltem facto tentamine, non ſtatim naturæ motus vitioſus cum naturali permutari poſſit, aut ſolitis ſuis excretionibus iterum adſuefieri.

Crato Conſ. med. l.3. Conſ. 14. Paul. Ægin: de remed. l.3. c.18.

151. Inteſtinis jam & primis viis mundatis, mox præſentibus plethoræ ſignis venâ apertâ pars ſuperflui ſanguinis demenda. Quo facto ad purgationem deveniendum quæ lenioribus ſaltem & per ἐπίκρασιν operantibus abſolvenda; quibus tamen, ſi obſtructionum in venis indicia adſint, temperata aperientia admiſcenda. Locum ergo hîc habebunt *Syr. roſ. & viol. ſolut. diaſereos, manna. it: rhabarb. diaprun. ſolut. pulpa Ta-*

marind.cum ▽ *borrag. viol. cichor. Endiv.* Nec inutilis eſt *Hieræ picræ uſus*, ſi refrigerantibus & humectantibus correcta exhibeatur.

152. Vitioſâ materiâ evacuatâ, intemperiei Inteſtinorum ſubveniendum. Laudant hîc *Cremorem* ♀, quotidie ter in ▽ ſalv. oblatum. *it: Spir.* ♀ & ⊕*li in aq. Herbæ paralyſis vel fragorum*, vacuo ventriculo ſæpius exhibitus. Prodeſt & *Miſtura ſimpl. ex* ▽ *primulæ veris*. Ejusmodi medicamentorũ uſu ſubinde ſudores ſunt expectandi: nõ omiſsis tamen & aliis diaphoreticis *ex ſyr. de beton. de ſucco carduib.* quæ vitioſos humores & vapores nervis incumbentes diſcutiant.

153. Interea etiam topica ſunt uſurpanda, fricenturque membra reſoluta panno aſpero, & poſtea inungantur oleis mediocriter reſolventibus, ut *lil. alb. anethi, chamæmel.* & aliis dolorem ſimul, qui ſæpe hîc adeſt, lenientibus: nõnunquam tamen refrigerantium aliquid, ut *ol. roſac.* admiſcendo. Continuatis ejusmodi, quousque fuerit neceſſarium diligenter, haud dubiè nervis priſtinum robur reſtituetur, ut fortiùs vitioſis humoribus affluentibus reſiſtentes, præcipue, ſi & interna nervos roborantia, non negligantur, penitus brevi malum exulare faciant.

Senn. Inſtit. 2.p.3.ſ.2.c.5.

154. Paralyſin Scorbuticam faciliori negotio, & nonnunquam intra paucorum dierum ſpatium curari ſuperius monuimus. Cum tamen ea ortũ trahat ab ejusmodi humoribus, qui prætermanifeſtas qualitates, etiam occultam aliquam ac ſcorbuticam vim obtinent, in recenti memoriâ perpetuo volvendum, omnibus adhibendis medicamentis antiſcorbutica, tàm internis quàm externis eſſe admiſcenda. Hâc n. occultâ vi abolitâ ſpes curationis eſt facilis, vigente a. morbus in totum abolebitur nunquam.

155. Ubi ergo malum adhuc eſt levius, & ſcorbutica διάϑεσις nondum totum corpus occupavit, præmiſsâ univerſali corporis evacuatione & præparatione ſequens Electuarium, erit utile. ℞. *Beton. M. IV. gran. juniper. contuſ.* ℔ ij *Coq. in aq.* ℔ *VIII. ad conſiſt. pultis. Factæ Expreſſioni adde Sacch.* ℔ ij & *coq.*

denuò

denuò ad conſiſt. ſyrupi. Ab igne remotis permiſce zzris unc ij *calam. arom. macer. cubeb. fol. ſenæ, cardnib.* an unc ß. *F l. a.* Elect. cujus cochl. quotidie ſemel aut bis ſumatur, ante & poſt cibum.

156. Quod ſi vero morâ diuturnâ morbus invaluerit, fixioresque egerit radices, auctâ ſc: malignitate ſcorbuticâ, potior curationis ſpes in antiſcorbuticis eſt collocanda: ideoque ea præcipuè eligenda, quæ huic malo peculiariter repugnare experientia docuit: inter ea facile primas tenet *cochlearia*. Deinde *naſturtium, ejusq; ſpecies omnes, beccabunga, raph. ruſtic. chelidon. min:* quibus annumerantur, *fumar: abſinth. vulg. Card: bened. cuſcut: ceterach: cort. tamariſc. cappar.* atque alia craſſos & melancholicos ſuccos præparantia & vincentia. *Greg. Horſt. in Herbar. l. 1. ſect. 2. c. 4.*

157. Exterius fiant frictiones ac lotiones ex aq: in quâ ebullierint *Fol. ſalviæ, beton. roriſmar arteniſ: fl ſamb. melil. chamæmel. Raph: agr. naſturc:* quibus tamen & fortius emollientia addi vel præmitti poſſunt, ſi tumor partis affectæ poſtulet. Poſtea rigidæ genuum compagines conveniente aliquo linimento inungantur, quousq; naturalis movendi potentia parti exactè reſtituatur. Sed ulteriùs hæc perſequi inſtituti noſtri non patitur ratio. Nos properamus ad reliqua.

158. Ab humoribus ortas paralyſes hactenus vidimus: brevibus addemus & reliquas à cauſis externis & violentis nactas originem. Si itaque à luxatione veniat paralyſis, membrum luxatum quamprimum reponendum eſt, & continuò reſtituetur parti naturalis ſenſus & motus: quod ſi non fiat, ſed ſtupor inde aliquis ſuperſit, frictionibus moderatis, fomentisque ac inunctionibus ex *ſalviâ, hyſſopo* oleisque mediocriter calidis ſupra recenſitis, reliquum peragendum: ita n. parti laboranti priſtinus reconciliabitur vigor & functio

159. Si ex contuſione & ictu violentiore membrum aliquod ſit factum paralyticum: leni ſtatim primæ viæ eluantur enemate, & mox venâ ſectâ ſanguis imminuendus, atque à parte affectâ quocunque modo revellendus, adhibitis frictionibus, cucurbitulis & aliis mediis revulſoriis. Ipſi a. loco affecto repellentia applicētur, nō quidē ſola, ſed cum digerētib. miſta, donec inflā-

 matio-

mationis metus tranſierit: tunc n. diſcutientibus ſolis relinquetur locus. Si autem his factis, paralyſis nihilominus perduret, ad nervorum roborationem, partiumque reſolutarum calorem rervocandum, à Platero hoc commendatur Unguentum: ℞ *Rad: pyrethri* unc: ß. *piperis* ℥iij ♀*ris* ℥ *V. pulv. lumbricorũ* ℥ij *Caſtor.* ℈ ij. *Euphorb.* ℈j *Coctis in olei* unc. *X. ad mediet. conſumpt. F. Ung*, quo cervicis & dorſi vertebræ & partes reſolutæ calidè inungantur.

Prax. med. Tom. 1. l. 2. c. 2.

160. *De* paralyſi, â continuitatis ſolutione ortâ, cùm ob nervorum diſciſionem vel rupturam ſit incurabilis, multa dicenda non putamus: Sic nec peculiarium membrorum reſolutiones, earumq; curas prolixè hîc pertractãdas ſumimus, cum ex practicorum libris, proprio marte quilibet eas poſſit cognoſcere facilius.

Hipp. 6. aph. 19
Hor. Aug. Epiſt. & conſ. med. l. 3. p. 397

Itaque hîc pedem figimus, atque Æternas omnipotenti Deo, pro conceſſis beneficiis agimus gratias.

Clariſſimo & Pereximio Viro

DN. FRANCISCO ADAMO KESSIO, Medicinæ Candidato, pro Licentiâ diſputanti, Amico dilecto.

ARtis medendi culmina cum petis
KESSI, brabêum &, quod meruit diu
Virtus, laborum jure poſcis;
Gratulor & pia vota fundo.
Felix medendi Flos novus exeat
Et curet ægrotos, malè quos premunt
Morbi dolores, impetusq;
Proſperiore manu repellat.

Applaudeb.

Johannes Scharfius D. P.P.
Colleg. Theol. Senior & p. t.
Decanus.

GAlenus ac Hippocrates
Præcepta condunt maxima,
Quibus medela ægris datur,
quæ cuncta calles optimè,
cuſtodiesq; perpetim.
Galenus ac Hippocrates
ſunt principes & ſunt duces,
Sectaris hos, morbis medens:
Hinc auguror: quid? colligo,
Clareq; nunc pronuntio:

Galenus

Galenus ac Hippocrates
multis eris langventibus:
Futura quanta gloria eſt?
O quanta prædicatio!
Curante Te curant quoque
Galenus ac Hippocrates.

Ita Præclariſſimo Domino Candidato
de his honoribus gratulatur
Conradus Victor Schneider,
Phil. ac Med. D. & P. P.
ac h. t. Decanus.

IN
SOLENNEM DE PARALYSI *DISPUTATIONEM PRO LICENTIA,*

VIRI CLARISSIMI,
FRANCISCI ADAMI KESSII,
Epigramma.

ILle faber leti noſtrum dum circuit Albim,
Neſcio quam prædam falce manuq; petens,
Incidit in librum KESSI, totumq; retractans
Intumuit pariter, diriguitq; metu.
Dein addit: proh quanta perit mihi cauſſa triumphi,
Si, modò quæ ſcripſit, mox aget ipſa manus?

Auguſtus Buchnerus.

Viro Clariſſimo
DN. FRANCISCO ADAMO KESSIO,
Medicinæ Candidato digniſs. Amico ſuo honorando, pro ſummis in Medicinâ honoribus diſputanti publicè.

NOſtras præ reliquis, KESSI, dignaris Athenas
quæ Tibi Doctoris concilient titulum:

Sed

Sed ſapienter agis, veſtigia trita ſecurus:
inde potes tritas cautiùs ire vias.
Optes præcipuos olim ſimilare Medentum
ſic gradus ornabit Te, tua; Tuq; gradum.

Deproperab. m. lq.

Andreas Sennertus,
Sanct. Oriental:q; LL.
Prof. P.

Ad Clariſſimum,

Dn. Candidatum Amicum ſuum honorandum.

NOn tantùm Uranies latitant in pectore Kessî
Senſus, & ſi quæ condita Mundus habet;
Artis Apollineæ ſed & inclyta gloria certat,
Huic aperit laudis celſa Theatra ſuæ.
Ergô age conſcendas, felici nomine & arte,
In Cathedrâ novus hîc concilietur honor!

Juſtus Fidus Klobius
Med. D.

PRodi, prode tuas KESSI Clariſſime, dotes,
Quas tibi ſeu Natura ſagax ingentibus ulnis,
Juſta Parens admenſa fuit, ſeu Cura diurna
Addidit, & multo vigilatæ ex ordine noctes;
Seu Sophies imo penitras de fonte receſsûs,
Sive Arabum monumenta legis, totoq; Oriente
Proluis ingenium, medicasq; Hippocratis artes
Scrutaris, teq; ejus in altum dogma refingis:
Quamvis ipſe domi fallens, tibi notus & uni,
Contentus præcone tuæ virtutis abundè,
Non jacis ampullas & ſesquipedalia verba,
Qualia venales qui vult extrudere merces
Inſtitor emiſſis declamitat undiq; buccis,
Diffiſus lucro; tibi diſſimulatio famæ

In

In præſens auget famam, quantâq́; futuri
Spe tantos animi prudenter preſſeris ignes
Hactenùs, iſta palæſtra docet, quâ ritè reſolvis,
Quæ nervis inimica, graves Paralyſeos ictùs,
Mox palmam cum laude reportaturus arenæ.
Nempè ſolent gravidæ demittere culmen ariſtæ,
Extollunt ſteriles; tinnitum dolia grandem
Evacuata dabunt; ſuccoq́; & carne refertum
Mergitur in fundo, ſed putre ſupernatat ovum.

CLARISSIMI CANDIDATI
Novis Honoribus
τὸ σὺν *acclamabat*
M. Samuel Pomarius,
Coll. Philoſ. Adjunctus.

Dignum laude facis, KESSI, quod culmen honoris,
Quâ licet atque decet ſemitâ adire paras.
Hûc licuiſſe tibi dudum contendere monſtrant
Ingenii magnæ, quas modò promis, opes.
Has ut ritè loces DEUS ac Hygieia favore
Cultorem ſpondent ſponte juvare ſuum.

DOMINO CANDIDATO
gratulab. acclamab.
συμπατρ:
Caſpar Thiele/
SS. Theol. Stud.

FINIS.